

LANGENHORST, AUGUST

**De Scholiis Horatianis quae Acronis nomine
feruntur quaestiones selectae. : [Diss.]**

Bonnae
1908

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms*
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)*

* Not available in every eBook.

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book.

- Terms and Conditions: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/en/agb.html>

More eBooks

Already more than 30 libraries in over 12 European countries offer this service.

Search books available for this service: <http://search.books2ebooks.eu>

More information is available at <http://books2ebooks.eu>

ACRON.

Klass. Forb.
Lat. Comment
(Br)

DE SCHOLIIS HORATIANIS QVAE
ACRONIS NOMINE FERVNTVR
QVAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AMPLISSIMI IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AVGVSTVS LANGENHORST

GVESTPHALVS

PROMOTVS DIE XII MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCCVIII

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

MDCCCCVIII

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM RETTVLIT:
BRINKMANN P. P. O.

AVGVSTO BRINKMANN

S

ALBERT BIRKMAN

Opinionem vulgarem, qua scholiorum Horatianorum, quae Acronis nomine feruntur, maiorem melioremque partem ex Porphyrii in Horatium commento consarcinatam esse atque scholia, ut nobis sunt servata, ad Helenium Acronem grammaticum redire non posse putabant, nuper P. Graffunder commentatione „Entstehungszeit und Verfasser der akronischen Horazscholien“ inscripta in musei rhenani vol. LX. (ann. MCMV) p. 128 sqq. refutare conatus est variisque argumentis et rationibus nisus scholiorum pseudacronianorum antiquissimam recensionem iam Porphyrii notam fuisse contendit. atque id primum ad sententiam suam comprobendam profert Porphyrium locis plus quadraginta explanationi, quae in illis scholiis legatur, repugnare; deinde de eorum fontibus disputans Helenium Acronem expositionis vetustissimae auctorem fuisse contendit; tum in scholiis Horatianis nonnulla interpretamenta occurrere cum iis congruentia, quae Iulius Romanus apud Charisium ex Helenii Acronis in Terentium commentariis nobis servavit qua re Graffunder antiquissimam scholiorum partem ad Helenium Acronem revocare non dubitat neque commemorare omittit etiam Kellerum, scholiorum pseudacronianorum editorem novissimum, similiter iudicare, qui p. IX—X praefat. vol. II editionis scribit: „itaque etiamsi universa ea scholia, quae his duobus voluminibus edidi, ad veterem illum Acronem omnium interpretum praestantissimum referenda esse ne stultior quidem homo hodie putaverit, tamen multa veri Acronis dicta partim integra, partim aucta, partim decurtata vel alio modo variata in iis inesse verisimile est. quin etiam eorum,

quae Porphyrii et Pseudacroni communia sunt, partem aliquam ex vero Helenio fluxisse suspicari licebit.¹ quae vera non esse omnibus de Helenio Acrone testimoniis examinatis scholiorumque Horatianorum indole cognita effici confido. rem autem ita instituem, ut primum quae de Helenio Acrone grammatico memoriae tradita sunt adiectis quae similia cum alibi tum in scholiis Horatianis leguntur in medium proferam, deinde de scholiis pseudacronianis disputem.

A

Testimonia de Helenio Acrone grammatico

I

Iulius Romanus

1

GLK I p. 210, 13—18 (de adverbio): Prius pro melius, utilius, antiquius Terentius in Eunucho (I 1, 5 = 50) „nil prius neque fortius“. nisi Helenium Acronem errasse dicendum est, qui prius non sic intellexit, ut (non *codd. corr. Keil, Wessner*²) fortius, id est gloriosius, quamquam iuxta sit summum et egregium excellentemque esse laude virtutis. itaque Plautus in Bacchidibus (II 2, 43=221): „fortasse iam opus est. Immo etiam prius.“

cf. scholia Terentiana ed. F. Schlee ad Eun. I 1, 5 (p. 96, 11): prius] melius. Porphyrio ad Hor. carm. IV 10, 4: Prior pro melior. scholion ad Hor. carm. IV 9, 5

¹ cf. quae idem ante hos quadraginta annos eadem de re exposuit in symbola philologorum Bonnensium in honorem Friderici Ritschelii collecta. Lipsiae 1864—67 p. 491—502.

² Aemilius Asper, Ein Beitrag zur römischen Literaturgeschichte. Halle 1905, progr. No. 281 p. 16.

priores] meliores¹. scholion AV ad Hor. carm. IV 10, 4: priorem pro meliore dixit. (cf. Porph. ad hunc versum). scholion ad Hor. sat. II 5, 30: priorem] meliorem². Servius ad Verg. Aen. XI 292: prior *autem*³ praestantior, melior. scholion ad Luçan. II 28: priores] meliores. conferri potest etiam Serv. ad Aen. IV 323: fama prior] quae melior fuit sine dubio.

2

p. 201, 3—4 (de adverbio): Interea loci Terentius in Eunucho (I 2, 46=126) „interea loci“; ubi Acron: quae-ritur, inquit, quo accentu dici debeat interea loci.

3

p. 216, 7—9 (de adverbio): Quod poteris Terentius in Eunucho (II 1, 8 = 214) „munus nostrum ornato verbis quod poteris“; ubi Helenius Acron: pro in quantum poteris.

cf. scholia Terentiana ed. Schlee ad Eun. II 1, 9 (p. 98, 10): quod] in quantum.

4

p. 210, 10—12 (de adverbio): Prima pro primo Terentius in Adelphis (prol. 9) „in prima fabula“; ubi Helenius Acron: pro in primo et Maro (Aen. IX 244) „vidimus obscuris primam sub vallibus urbem.“

cf. Donatus ad Terent. Adelph. prol. 9: in prima fabula] pro in prima parte, ut dicimus „primis digitis“; non enim et secunda aut tertia fabula.

Donatus ad Hecyram (V 3, 24 = 822): Nocte prima] primis partibus noctis vel primore, ut (Verg. Aen. IX 244) „vidimus obscuris primam sub vallibus urbem“.

1 commentator Cruquianus et cod. γ (= Parisin. 7975 saec. XI) apud Kurschat, Unedierte Horazscholien. Tilsit 1884, progr. no. 17 p. 16.

2 commentator Cruquianus et cod. γ apud Hauthal in editione scholiorum Horatianorum II 298.

3 hic et in sequentibus Danielina ad Servium additamenta Thilonem secutus *inclinatis litteris* significavi.

Servius ad hunc locum (242 apud Thilonem): vidi-
mus primam urbem, hoc est primam partem urbis.

scholion ad Persii sat. V 42: Primas noctes] pro
primis partibus noctis posuit. scholion ad Hor. sat. II
5, 53: Prima cera] prima tabula, pars tabularum (cod. γ
apud Hauthal II 301). scholion ad Hor. epist. I 1, 1:
Prima Camena] id est principio operis mei (Γ'αbfV)¹.
cf. etiam Serv. Dan. ad Aen. III 8: Prima aestas] aut
vernum tempus dicit, aut *prima pars*² *aestatis*

5

p. 229, 21—29 (de coniunctione): Atque pro et Terentius
in Adelphis (I 1, 15 = 40) „atque ex me hic natus non
est, sed ex fratre“; ubi Acron: argute, inquit, nam per
hanc coniunctionem transitum fecit ad narrationem;
Cn. Naevius in Agitatoria, sed et in Tarentilla; Plautus
in Bacchidibus (fragm. XII Goetz-Schoell) „quae sodalem
atque me exercitos habet“; Cato dierum dictarum de
consulatu suo „atque quamquam multa nova miracula
fecere inimici mei, tamen nequeo desinere mirari eorum
audaciam atque confidentiam“.

versum ex Bacchidibus Plautinis, qui in Plauti
codicibus non legitur, adfert etiam Nonius p. 6, 4 in voce
„exercitum“ praeter locos Sallustii (bell. Iug.), Lucretii,
Afranii, Vergilii.

6

p. 197, 22—27 (de adverbio): Duriter Terentius in Adel-
phis (I 1, 20 = 45) „ruri agere vitam, semper parce ac
duriter | [se]se habere“; ubi Acron: secundum antiquo-
rum, inquit, consuetudinem. nam et Ennius in Phoenice
„quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit“.

¹ minus apte Graffunder confert etiam schol. Γ' ad Hor. sat. II 2, 93,
quod ita, ut a Graffundero scriptum est, ad errorem ducere potest; legimus
autem l. c.: mire ait „prima tellus“; illo enim tempore, quo mundus ex
discordibus in hanc concordiam formatus est, ex terra generati traduntur
heroes, indocilis turba vitiorum.

² „pars“ inseruit Daniel.

cf. Nonius p. 512, 1: duriter] pro dure. Terentius (Andr. I 1, 47), Novius, Afranius, Ennius Phoenice „quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit“, Caecilius.

7

p. 200, 15—19 (de adverbio): Hilariter ab eo quod est hilaris, hilare autem ab hilarus, ut Helenius Acron in Terenti Adelphis ubi Terentius (II 4, 23 = 287) „hilarem hunc sumamus“ inquit „diem“; sed et Afranius in Sororibus „nunc se obsequentem atque hilarem dixi praebeat“.

8

p. 126, 13—19 (de analogia): Duo, hos duo Accius in Epinausimache „Martes armis duo congressos crederes“; Terentius in Adelphis (V 3, 23 = 809) „tu illos duo olim pro re tollebas tua“; ubi Helenius Acron: pro duos.

cf. schol. raZ ad Hor. sat. I 7, 15: duo] pro duos¹. Serv. Dan. ad ecl. V 68: *duo vetuste dixit, ut ambo nam hodie hoc significatu duos et ambos dicimus.* Serv. ad Aen. XI 285: si duo praeterea] hoc est alios duos.

9

p. 119, 9—120, 3 (de analogia): Ambos Terentius in Adelphis (V 9, 5 = 962) „usque a pueris curavi ambos sedulo“; Sallustius quoque historiarum libro IV „inter me atque Lucullum prope inopia rursus ambos incessit“. idque Helenius Acron sic oportere dici in eadem Terentii fabula disputavit Verriumque dicit errare, qui putat hos ambo dici debere. indifferenter autem locutos veteres uberiora dabuntur exempla: Afranius in Panteleo „contemnes?“ inquit „liber natus est; ita mater eius dixit, in Gallia ambos cum emerem“, item idem in eadem „sed eccos ambos“. qui autem cum Helenio faciunt hanc afferunt causam, quia omnis accusativus numeri pluralis exceptis neutralibus et monoptotis s littera finiri debet.

¹ cf. Graffunder, mus. rhen. LX p. 140 et J. Endt, Studien zum Commentator Cruquianus Lipsiae 1906 p. 31 et 36 adnotat.

<praeterea> quoniam et has ambas ut doctas pictas, hos item ambos ut doctos pictos par erit dicere. ambo Afranius in Panteleo „revocas nos ambo ad periculum“. Terentius in Andria (II 2, 8=345) „hem, Charine: ambo oportune: vos volo“; Maro georgicon (IV 88): „verum ubi ductores acie revocaveris ambo“, idem in bucolicis (VI 18) „nam saepe senex spe carminis ambo | luserat“. quod genus graeca declinatione profertur. illi enim ἄμφω dicunt.

cf. Charisius p. 65, 16: ambo et duo an ambos et duos? ratione cum s dicimus, quia omnes partes orationis, quae casus habent, exceptis neutris et monoptotis in s littera accusativo plurali deficiunt. praeterea quaecumque feminina accusativo plurali as litteris terminantur et possunt ad masculina transferri a in o mutant faciuntque masculina, ut has magnas, hos magnos et has doctas, hos doctos. ita cum dicamus ambas et duas nimirum a in o translata ambos duosque dicimus. nonnulli tamen Graecos secuti, quia illic τοὺς δύο et τοὺς ἄμφω dicunt, hos duo et hos ambo dixerunt; in quibus Vergilius (georg. IV 88) „verum ubi ductores acie revocaveris ambo“¹.

Verriumque dicit errare] cf. Paulus Festi p. 4: ambo] ex Graeco ductum videtur, quod illi ἄμφω dicunt.

Vergil. georg. IV 88 et eclog. VI 18] cf. Serv. Dan. ad ecl. V 68: *duo vetuste dixit, ut ambo (ecl. VI 18) , nam hodie hoc significatu duos et ambos dicimus*. Serv. Dan. ad ecl. VI 18: *carminis ambo] vetuste, ut alibi (georg. IV 88) et (Aen. XII 342) ut (ecl. V 68) , cum hodie sub eadem significatione ambos et duos dicamus*.

¹ quo iure Schottmueller, de C. Plinii Secundi libris grammaticis, dissertat. Bonnens. 1858 p. 41 adnot. Acroni etiam titulum „Duum . . .“ (apud Charisium p. 127, 3—6), qui propter Frontonem ad Plinium redire non potest, attribuat non video. etiam O. Froehde, de C. Iulio Romano Charisii auctore. Lipsiae 1892 p. 643 (= Jahrb. f. class. Philol. Suppl. XVIII) dubitat, num titulus ad Acronem redeat, in quo Terenti nomen non legatur. etiamsi Terentius in hoc titulo legeretur equidem eum ad Acronem redire non contenderem.

Terent. Andr. 345] cf. Serv. Dan. ad Aen. XII 342:
*ambo] antiquo more ambo: Terentius (Andr. 345)
sicut superius (ad ecl. V 68 et VI 18) dictum est, cum
hodie ambos dicamus.*

scholion ad Hor. sat. II 3, 180: ambo] pro ambos (Γ').
scholion ad Hor. sat. II 7, 62: in ambo] pro in ambos
(gloss. Γ apud Kellerum in Horatii editione II 175). cf. etiam
P. Wessner, Burs. Jahresber. CXIII p. 159 adnotat.

10

p. 130, 10—12 (de analogia): Fructi Terentius in Adelphis
(V 4, 16 = 870) „nunc exacta aetate hoc fructi pro labore
fero“; ubi Helenius Acron: et huius fructuis ut senatus
veteres extulerunt.

cf. Plinii libror. dubii sermonis reliquiae ed. Beck
p. 17, 23 cum adnot.

11 a

p. 219, 5—8 (de adverbio): Sedulo Helenius Acron in
Adelphis (V 9, 5 = 962) Terenti ut falso, inquit, et con-
sulto, nisi forte hic nomen est sine dolo, „usque a pueris
curavi ambos sedulo“. quamquam sit sine dolo, per se
tamen sedulo sic utique est ut falso.

cf. Wessner, Aemilius Asper p. 17 adnotat. 3 et p. 18.
Serv. Dan. ad Aen. II 374 sedulus] sine dolo. scholion ad
Hor. epist. I 13, 5 sedulus] hoc est velut sedulo agens,
quasi sine dolo (Γ' bE).

11 b

p. 192, 30—193,5 (de adverbio) viderit enim Helenius
Acron commentariis, quos Adelphis Terenti non indili-
gentes attulit, quid altioris causae reive perspexerit. nam
ita disserit: ut falso, inquit, et consulto, ita sedulo dicti-
tatum. nisi forte sine dolo putat esse sedulo nec cum
industria, vel ideo cum industria, cum sit utique diversum.
nec enim convenit ei cui puerorum ineunte vita salus
credita est retexenti curam sollicitudinemve quam ceperat
(Terent. Adelph. V 9, 5 = 962) „ego vos usque a pueris curavi

ambos sedulo“, quasi ei de satisfactione criminis dolique certandum esset ac non prae se ferendum de ostentatione meritorum.

II

Rufinus

Commentar. in metra Terentiana (GLK VI 565, 1—6): Mensuram esse in fabulis Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum dicunt hi: Cicero, Scaurus, Firmianus, Varro, Victorinus, Caesius Bassus, Terentianus Caecilius Vindex, Cinna, Sisenna, Diomedes, Albinus, Quintilianus, Sosipater Charisius, Helenius (helenus *codd. corr. Ritschl*), Asper, Fl. Caper, Arruntius, Probus, Plinius, Euanthius, Sacerdos qui et Donatus, Iuba.

III

Vita Horatii

Pseudacronis scholia ed. O. Keller vol. I p. 3: Commentati in illum (i. e. Horatium) sunt Porphyrio, Modestus et Helenius Acron; Acron omnibus melius.

codd.: A (Parisin. 7900 A scaec. X); B (Bern. 363 saec. IX exeunt.); Γ (γΜαf) saec. XI—XII.

IV

Porphyrio

ad Hor. sat. I 8, 25: Sagana] Memini me legere apud Helen<i>um <A>cronem Saganam nomine fuisse Horati temporibus Pompei † saganam senatoris, qui a triumviris proscriptus est. sed cum dicat maiorem, apparet aut sororem hanc habuisse minorem se, aut fuisse et aliam Saganam illis temporibus minorem hac vel aetate vel natalibus vel censu.

† saganam: falso repetitum ex superioribus pro uxore. cf. scholion AvV ad Hor. epod. 5, 25: Sagana] Nomen veneficae alterius. haec senatoris cuiusdam uxor fuit. cf. Keller praefat. vol. II p. IX et p. XIII adnotat.

scholion Γ'V ad Hor. sat. I 8, 25: ostendit fuisse etiam minorem; aut maiorem natalibus, aut aetate aut censu; aut maiore quam fuit ipsa Canidia.

V

Scholion Horatianum Γb

ad Hor. carm. IV 9, 37: vindex avarae fraudis] Acron interpretatur Lollius.

VI

Glossa Scaligeri

Cg1LV p. 613, 45: Zanga pellis. Acro nigris medium impediit crus pellibus.

nigris-pellibus = Hor. sat. I 6, 27. 28.

cf. schol. Γ'bV ad Hor. sat. I 6, 28: Pellibus] calciamentis, zangis (zangis *om.* V).

VII

Scholion ad Persium

ad sat. II 56: nam fratres inter ahenos] Acron tradit, quod in porticu quondam Apollinis Palatini fuerint L Danaidum effigies, et contra eas sub divo totidem equestres filiorum Aegypti.

accedunt testimonia recentiora de Helenio Acrone Persii interprete, de quibus egit O. Iahn proleg. ad Persium p. 157 sq.

I. Parrhasius (de rebus per epistolam quaesitis ep. V t. I p. 735 Gruteri Lamp.): Incidi in Probi grammatici commentarios in primam Persii satyram, non illos, qui Cornuti nomine circumferuntur, et quos Hermolaus ut Probi citat II castig. in Plin. in verbo Barba, sed alios longe maiori cura ac ingenio compositos. In iis ita scriptum legimus: „Curas Acroni proprie dicere videtur, quae si utiliter exercentur, virtutis locum obtinent, si in supervacuum, desidiae.“ Ex quibus apparet Acronem Probo¹ fuisse vetustiore.

¹ cf. Steup, de Probis grammaticis p. 127.

Henr. Ernstius (varr. obs. I 7, Iahn l. c. p. 159, 2): Reperi Mediolani in bibliotheca Ambrosiana cod. antiquissimum calamo exaratum, cuius usum mihi concessit Franc. Bernardin. Ferrarius, vir non solum elegans et doctus, verum bonus et rarissima humanitate praeditus, in quo ita scriptum erat: „Acron in Persium“ pro „Cornutus in Persium“. Idem erat liber, qui Cornuto alias adscribitur. Faveo, ut verum dicam, huic sententiae, cum ob antiqui codicis auctoritatem, tum ob affinitatem sermonis cum aliis, quorum Acron auctor dicitur.

his quae extant de Helenio Acrone testimoniis collectis quid ex iis efficiatur videamus. gravissimum est illud, quo Iulius Romanus Helenii ad Terentii Adelfhos „commentarios non indiligentes“ commemorat; cetera etiam fragmenta, in quibus Terentii Adelfhi afferuntur, ex hoc commentario sumpta esse demonstrare non opus est. quin etiam proclive est coniectu non modo Adelfhos, sed etiam Eunuchum ab Helenio Acrone tali commento instructam fuisse: nam in iis fragmentis, ubi Terentii Eunuchus citatur, Acron eodem modo inducitur quemadmodum in iis fragmentis, quae exemplis ex Adelfhis illustrantur. alias quoque Terentii fabulas Helenium interpretatum esse non habemus quod suspicemur, neque ad hanc rem diiudicandam confert Rufini testimonium, cum etiam alii scriptores a Rufino afferantur, quos Terentium interpretatos non esse scimus¹. vel ex his paucis reliquiis apparet Acronem multa ex aliis poetis et scriptoribus exempla ad illustrandum attulisse. quamquam ex exemplis ipsis, quae in testimoniis praeter Terentium afferuntur, quicquam certi colligi non potest; praeter Plautum in Bacchidibus (testim. I 1 et 5) et Naevium Catonemque (testim. I 5) omnia exempla ad Acronem redire contendit O. Froehde, de Iulio Romano p. 644. neque aliorum grammaticorum sententias eum neglexisse docet

¹ accedit quod nomen Helenii Ritschelii coniectura haudquaquam certa nititur,

fragmentum illud, in quo contra Verrii auctoritatem pugnat¹. in universum dicendum est Acronis commentarios tritos aut vulgares non fuisse.

etiam pauciora sunt, quae de Horatianis Acronis studiis comperta habemus. ex Porphyriionis verbis apparet ipsum „Acronem“ in manibus non tenuisse, cum commentum suum in Horatium scriberet; neque qualis fuerit ille liber Acronis ex Porphyrione satis perspicuum est. hoc tamen monendum est Acronis testimonium a Porphyrione propter personam Horatianam afferi; idemque de schol. Γ b valet². probabilis igitur videri possit coniectura Acronem in commentario Horatiano praecipue de personis Horatianis egisse, id quod etiam Kiesslingius, de personis Horatianis p. 10, putat, qui, quicquid de personis Horatianis apud Porphyriionem boni probique legitur, Helenii Acronis commentariis imputat.

qualem ad fontem tota vita redeat, quae in codicibus ABΓ legitur, diiudicari non potest; a coniecturis magis vel minus verisimilibus me contineo.

glossam Scaligeri, Graffunder contendit Scaligerum ex codice vetusto — nunc sane deperdito — sumpsisse, qui commentario Horatiano Acronis nomen inscriptum exhibuisset. at iam Loewe fusius de hac glossa in prodromo corporis glossariorum Latinorum (p. 50) disputans Scaligerum hanc glossam ex scholiis ipsis (ad sat. I 6, 28) descripsisse iure suspicatus est. accedit quod perquam dubium videtur, num zanga vox Acronis tempore Latinis iam in usu fuerit. quod autem Graffundero verisimilius esse videtur hanc glossam iam antiquitus ex scholiis in glossaria manasse, cum hoc similiter fieri potuisset atque alio loco, ubi glossae cuidam Pompei Festi nomen adscriptum sit, aliquantum tamen interest inter

1 Acronis in Terentii Eunuchum et Adelphos commentarium a Donato exscriptum esse statuit Smutny, de scholiorum Terentianorum, quae sub Donati nomine feruntur, auctoribus et fontibus quaestiones selectae, dissertat. philol. Vindobon. VI 93—137. sed recte a Wessnero, Aemilius Asper p. 18, refutatur.

2 cf. etiam O. Keller, Mélanges Boissier p. 311.

scholiastam Horatii et Pompeium Festum; nam si quis in glossario componendo Pompeio Festo utebatur, hoc mirandum non est, cum liber de verborum significatione ut ad glossas conficiendas adhibeatur res ipsa ferat. nec probabilius Philoxeni glossas partim ex Horatii quodam scholiasta derivatas esse Graffunder putat. quae magnam partem sunt latinolatinograecae, ut Loewe eas in prodromo p. 188 nominat, hoc est: praeter interpretamentum latinum etiam graecum adiectum habent. scholiastam autem tot graecis interpretamentis usum esse quis credit? longe certe veri similis statuit Loewe l. c. „Philoxenum“ materiem quidem ex Horatii carminibus sumpsisse, sed interpretamenta ipsum addidisse; atque rem ita se habere etiam glossariorum latinograecorum exemplis confirmari potest.

restat ultimum testimonium, scholion ad Persium, ex quo equidem non video quo iure Jahnius eiusque auctoritate nisi Teuffelius Schanzius alii Helenium Acronem commentarium in Persii saturas scripsisse concluderint. dubitavit autem iam Kiesslingius in programme Gryphisvaldensi anni 1880 p. 10, num Helenius Acron Persii saturas iustis commentariis enarraverit. quae enim ad Persii sat. II 56 de Danaidum filiorumque Aegypti statu in Apollinis Palatini porticu referantur, ea ex Horatiani etiam carminis quo Apollo recens dedicatus celebratur (carm. I 31) enarratione derivata esse posse¹. Kiesslingii sententia mihi quoque veri similior videtur esse, praesertim cum tota scholiastae explanatio de Danaidum filiorumque Aegypti statu ad Persii locum (II 56) minime quadret, ut Jahnius ipse in commentario p. 133 fusius exponit².

¹ etiam O. Keller, *Mélanges Boissier* p. 312 et in edit. I p. 266 enarrationem de Danaidibus ad carm. III 11, 23 rettulit.

² fortasse non inutile est ad comprobandum, scholion ad Persii sat. II 56 adscriptum minime testari Acronis in Persium commentarium, errorem vulgarem refutare, qui simili modo ortus est. legimus in commentis Bernensibus ad Lucanum I 214: „Puniceus Rubicon] Porfurion ‘puniceum’ interpretatus est quasi feniceum (propter rubras aquas), quem

ex Parrhasii autem verbis nihil effici potest; Ernstius saltem iusto fundamento nititur. nam ut R. Sabbadini comiter mecum communicavit, extat re vera in bibliotheca Ambrosiana codex, cui Acronis nomen inscriptum est, quem Sabbadini sic describit:

cod. Ambros. J 38 sup. chart. saec. XV

f. 1 Aulus Persius Flaccus natus est —

f. 2^v Nec fonte labra proliui caballino. quod Hesiodus dicit —

f. 74 Expl. syllogismum Crisippi deffinire. Finis τελω

Acronis comentum super satyras persii feliciter Explicit.

f. 75—80 vacat.

f. 81 In exponendis libris

f. 81^v Humano capiti. In hac re declaranda — (*commentarius in artem poeticam Horatii*)

f. 121^v expl. nisi cum fastidium dicendi affecti ex Collectorum in horatio finis.

quam ad rem explanandam interim nihil afferre

ad modum ἐρυθρὰν θάλασσαν dicimus rubrum mare.“ quo loco nisi viri docti Porphyrii etiam Lucani commentum adscripserunt; summa cum iniuria opinor. fugit enim eos Lucanum in Porphyrii commento Horatiano bis tantum laudari. nonne, si Porphyrio re vera Lucanum interpretatus esset, multo plures Lucani versus in commentario ad Horatium occurrere veri simile esset? praeterea Lucanus is est poeta, qui Vergilio et Horatio exceptis saepissime laudatur. sed iam quaeritur, quo modo Porphyrii nomen in commenta Bernensia pervenerit. fortasse Porphyrio in commentario ad Hor. carm. IV 10, 4, ubi adiectivum „puniceus“ legitur, sic interpretatus erat, ut in commentis Bernensibus narratur. sane in Porphyrii ad Hor. carm. IV 10, 4 commento nihil extat; sed Porphyrii commentarium non integrum servatum esse ex iis ipsis, quae ad nos pervenerunt, apparet et accuratius demonstratum est a P. Wessner, quaest. Porphyrii. p. 160 sq. huc accedit testimonium e scholiis Terentianis, quae F. Schlee Lipsiae 1893 edidit, ubi ad Ter. Haut. prol. 36 (p. 76, 11) leguntur: „comoediarum sunt genera sex: stataria, motoria, praetextata, tabernaria, togata, palliata, secundum Porphyriem“. in Porphyrii commentario superstiti ne verbum quidem horum extat, similia tamen in scholiis Γ'fVcZ ad Hor. a. p. 288 inveniuntur non nominato Porphyriem. cf. Wessner, Berliner philolog. Wochenschrift 1905 p. 253 et F. Vollmer, Die Überlieferungsgeschichte des Horaz p. 316 (Philolog. supplement. X 2).

possum; nisi alii antiquiores codices scholiorum ad Persium in lucem veniunt, quibus Acronis nomen inscriptum est, Acronem Persii saturas commentario instruxisse nego. quod in Ambrosiano codice scholia ad Persium cum commentario ad Horatii artem poeticam coniuncta sunt, ea re nihil demonstratur, cum codicem postea demum in unum corpus redactum esse ex eo appareat, quod fol. 3—8 quaternionis decimi (= fol. 75—80 codicis) vacua relicta sunt. commentarius ad Horatii artem poeticam initium capit a quaternione undecimo.

ut paucis comprehendam ea, quae de Helenio Acrone pro certo habere possumus: Helenius Acron scripsit commentarios ad Terentii Eunuchum et Adelphos atque ad Horatium; in his praecipue de personis Horatianis egit¹. quo tempore fuerit Helenius Acron sic colligi potest. fuit certe ante Iulium Romanum, Charisii auctorem²; Iulius Romanus citat Porphyriorem, qui saeculo tertio ineunte vel medio vitam degit³. Porphyrio autem primus Acronem laudat; itaque ante saeculum tertium vixit. praeterea cum Suetonium et Gellium, si ante eos Acron scripsisset, huius grammatici mentionem facturos fuisse veri simile sit, non longe a vero abesse videmur contententes Helenium Acronem inde fere ab anno 150 usque ad annum 200 vitam degisse⁴.

1 de Helenio Acrone in Vergili commentatoribus ab Henrico Stephano et Parrhasio falso numerato cf. Thilo ad Serv. Aen. VII 6; O. Ribbeck, Prolegomena critica ad Vergilium p. 174 sq; H. Hagen, scholia Bernensia p. 731 sq.

2 cf. O. Froehde, de C. Iulio Romano Charisii auctore.

3 cf. Wessner, quaestiones Porphyrianeae.

4 cf. Schottmueller, de C. Plinii Secundi libris grammaticis p. 32 adnotat. et Wessner, Aemilius Asper p. 16. — Graffunder scholiis pseudacronianis nisus Acronem inde ab anno 117 usque ad annum 176 vixisse demonstrare conatur. qua in re eum falso fundamento uti infra demonstrabitur.

B

De scholiis pseudacronianis

Ut initio huius commentationis dictum est, nuper Graffunder demonstrare conatus est scholiorum Horatianorum¹ antiquissimam recensionem ad Helenium Acronem redire. cuius argumenta rationemque disserendi deinceps persequamur. antequam autem ad singula accedimus, dicendum est variis recensionibus promiscue uti locum non habere. nam si quis quaerit, quaenam scholia ad pristinam formam redeant, antiquissimam eorum memoriam ei praecipue adhibendam esse consentaneum est et hanc quidem virorum doctorum consensu in scholiorum Horatianorum codice Parisino 7900 A habemus. quod autem Graffunder eodem modo etiam recensione Γ utitur, ea in re certam rationem desideramus. ut enim Aristarchus Homeri versum negat, quem non probat — liceat Ciceronis verbis uti — sic Graffunder, quod sententiae suae non favet, a scholiorum indole alienum putat. atque initium liceat capere inde, quod Graffunder (p. 140 s.) scholiastam cum Helenii Acronis quae tradita sunt praeceptis mirum in modum consentire dicit.

ex Iulii Romani apud Charisium testimonio comperimus Helenium Acronem contra dualem latinum pugnavisse eumque formas „ambo“ et „duo“ in accusativo pluralis non admisisse. invenitur sane aliquotiens in scholiis interpretatio: ambo pro ambos et: duo pro duos. sic ad Hor. sat. II 3, 180: ambo] pro ambos (Γ'); ad sat. II 7, 62: in ambo] pro in ambos (gloss. Γ apud Kellerum in editione Horatii II p. 175); ad sat. I 7, 15: duo] pro duos (raZ)². sed conferas velim locos Servianos supra ad testimon. I 8 et

¹ „scholia Horatiana“ liceat brevitatis causa appellare ea quae vulgo pseudacroniana dicuntur.

² cf. Endt. Studien zum Commentator Cruquianus p. 36 adnotat.

I 9 congestos et videbis hoc non solum Helenium Acronem et Horatii scholiastam docuisse. praeterea hae interpretationes in scholiorum recensionibus aetate posterioribus inveniuntur, numquam in recensione V, antiquiore quam Γ, quamquam V omnibus locis, ubi Γ hoc interpretamentum habet, servata est¹.

Helenius Acron „prior“ quibusdam locis interpretabatur voce „melior“. hoc quoque in scholiis Horatianis legitur: schol. ad carm. IV 10, 4: priorem pro meliore dixit (AV). sed hoc loco Porphyrio idem praebet. itaque interpretamentum scholiorum Horatianorum proprium non habemus. ceteri loci, ubi „prior“ sic explicatur, leguntur apud commentatorem Cruquianum et in codice γ. praeterea hanc interpretationem non tam singularem esse quam Graffunder putare videtur, docent loci Servii et scholion ad Lucanum, supra in adnotatione ad testimon. I 1 allata. denique in scholiis Horatianis eam quoque Helenii Acronis interpretationem inveniri Graffunder dicit qua vocem „primus“ saepe non verbum numerale esse, sed partem alicuius rei significare statuit. ad sat. II 5, 53 in codice γ legimus: prima cera] prima tabula, pars tabularum. ceteri loci, supra in adnotatione ad testimon. I 4 allati, minus graves sunt. quod autem Graffunder p. 141 scribit: „es ist ja auch seltsam, dass ein Römer ueberhaupt glaubte, diese Redeweise erkläeren zu muessen. und das ist auch wohl der Grund, warum jene Bemerkung des Helenius Acron dem Julius Romanus auffiel, so dass er glaubte, sie anfuehren zu muessen“, his verbis testatur fugisse sese eandem interpretationem apud Donatum, Servium, in scholiis ad Persium occurrere, ut supra in adnotatione ad testimon. I 4 demonstravi.

quae cum ita sint, neque miri quicquam inesse in consensu, quem plurimi aestimat Graffunder, scholiastae et Helenii Acronis neque quicquam ad scholiorum originem enucleandam inde evinci patet.

¹ recensionem A, antiquissimam, ad saturas, epistulas, artem poeticam deesse notum est. in carminibus, epodis, carmine saeculari neque „ambo“ neque „duo“ occurrit.

ad definiendum tempus, cui caput, ut ita dicam, horum scholiorum tribuendum videatur, magno ei est argumento, quod ex scriptoribus, qui post Traiani aetatem fuerunt, nullus commemoratur. vel hinc apparere putat non multo post a. 150 p. Chr. n. ea esse composita. quae quam lubrica sit ratio, facile demonstrari potest. eodem enim iure scholia in Statium, in quibus nullus scriptor Traiano aetate minor laudatur, circa annos 150—170 orta esse contendere potest¹. quis autem, qui vel primoribus labris scholia antiqua attigerit, nescit scholiastas eos auctores, quibus plurima debent, non solitos esse nominatim appellare? itaque accuratissima ubique opus est perscrutatione ad investigandum, e quibus re vera fontibus hauserint. Graffunder autem hoc labore supersedere se posse ratus solius Verrii vestigia in scholiis persecutus est. atque plurimum tribuit scholio ad carm. III 23, 14: bidentes autem proprie dicuntur oves duos annos habentes, sic vocatae ab eminentioribus dentibus, qui circa duos annos nascuntur (ΓbV). quod scholion ad Verrium (Paul. p. 33) Hyginumque (Gell. XVI 6) revocans et cum Servio ad Aen. IV 57 comparans („bidentes autem dictae quasi biennes, quia neque minores neque maiores licebat hostias dare. sunt etiam in ovibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circa bimatum apparent“) Servium contra se ipsum pugnantem scholiasta Horatii necessario aetate posteriorem esse statuit. at longe aliter sese rem habere accuratius intuenti apparebit. Servius adhibito Gellio et illo loco et ad Aen. VI 39 („bidentes autem, ut diximus *supra* (ad Aen. IV 57) oves sunt circa bimatum habentes duos dentes eminentiores“) id egit, ut ambas originationes et Nigidii (qui bidens vocabulum a voce biennis derivavit) et Hygini („bidens . . . hostia oportet habeat dentes octo, sed ex his duo ceteris altiores, per

¹ cum dico in scholiis Statianis scriptores post Traianum non commemorari, codicem Monacensem 19482 specto, quem recensionem antiquissimam praebere veri simile est. nam loci e Martiano, Servio, Boethio, Sedulio in hoc codice desunt. cf. Wessner, Burs. Jahresber. 113, 213 s.

quos appareat ex minore aetate in maiorem transcendisse“), ut solet in talibus, aliquo modo in unum conflaret. scholiasta autem Horatii non solum eadem qua Servius ratione, sed etiam iisdem fere verbis utitur, ut appareat non aliter eum a Servio pendere quam hunc a Gellio. quod insuper egregie confirmatur scholio ad Lucan. I 607: non omnes oves habent duos eminentes dentes, teste Servio, sed quaedam et post duos etiam <annos>.

neque minus duo alia scholia, quae ad Verrium revocavit Graffunder, ad Servium redire facile cognoscet, qui ea cum Servii et Festi verbis comparaverit:

schol. ad carm. III 27, II	Servius ad Aen. III 361	Festus
oscines dicuntur aves, quae voce augurium faciunt, praepetes, quae volatu. ut Vergilius (Aen. III 361) ... (AΓabCV).	oscines <i>quae</i> ore futura praedicunt, praepetes, <i>quae</i> volatu <i>augurium</i> significant.	p. 197: Oscines aves Ap. Claudianus † esse ait, quae ore canentes faciant auspicium, ut corvos, cornix, noctua. . . . p. 205: praepetes aves quidam dici aiunt, quia secundum auspicium faciant praetervolantes. . . .
schol. ad sat. I 6, 68 lustra ferarum cubilia sunt, et quoniam meretrices lupae dicuntur, bene hoc nomine lupanaria appellavit (Γ'bVcZ).	Servius ad Aen. III 647 lustra] cubilia: unde etiam lupanaria „lustra“ dicimus, ubi habitant lupae, id est meretrices. . . .	Paulus Festi p. 120 l u s t r a significant lacunas lutas, quae sunt in silvis aprorum cubilia. a qua similitudine hi, qui in locis abditis et sordidis ventri et desidia operam dant, dicuntur in lustris vitam agere. . . .

gravissimo autem Graffundero est argumento scholiorum originem ad tempora Porphyrione superiora ascendere, quod eum non minus quam quadraginta locis

contra scholiastam pugnantem deprehendisse sibi visus est (p. 129 ss.). at plurimis horum locorum interpretationes re vera contrarias non esse neminem, qui mente non praeoccupata eos excusserit, non concessurum esse confido. nonnullas autem in scholiis inveniri explicationes iam ante Porphyriorem ortas non est quod mireris. an Porphyrio primus Horatium interpretatus aut scholiasta omnia de suo largitus est? neque vidit Graffunder Porphyrii proprium esse sic interpretari: „non hoc ait, sed hoc.“ neque vero vox „utique“ semper res contrarias apud eum significat, quam quantopere in deliciis habuerit, nullo negotio ex indice Holderi cognoscitur.

quam ob rem locos illos a Graffundero collectos singillatim percensere et longum neque necessarium videtur, praesertim cum gravissima praesto sint argumenta, quibus Porphyriorem scholiis aetate superiorem esse certo evincatur. quorum argumentorum firmissimum hoc est: haud paucis locis, quibus Porphyrio praesenti tempore verbi usus aut adiecta voce „hodieque“ aut ommissa aliquid sua ipsius aetate fieri aut extare dicit, in scholiis praeteritum tempus legitur, ut illud tunc non iam fuisse significetur¹. sunt autem hi:

1

„hodie“ apud Porphyriorem
c. I 36, 1—2
Fidicines hodieque Romae
ad sacrificia adhiberi sicut tibi-
cines nemo est qui nesciat.

c. III 11, 6

Fidicines hodieque Romae
sacrificiis adhiberi videmus.

praeteritum in scholiis
c. I 36, 1

Fidicines sacrificiis adhiberi
consueverant (AΓV)².

¹ aliquot horum locorum iam collegit O. Keller, *Symbola philologor.* Bonnens. p. 500 adnot. 62 ss.

² consulto neglexi „commentatorem Cruquianum“; nam ut I. Endt nuper libello „*Studien zum Commentator Cruquianus*“, Lipsiae 1906, demonstravit „commentatori Cruquiano“ fides habenda non est, cum variis e fontibus materiam compilaverit, praeterea bonos codices, ut AvV non adhibuit; usus est tantum codicibus classis Γ et F et cpZ (cpZ secundum editiones).

Porphyrion

c. I 36, 11—12

Salii autem sacerdotes Martis hodieque tripudiare in sacrificiis Martis dicuntur, unde etiam Salii a saliendo, id est saltando, dicti.

c. III 8, 1

Kalendae autem Martiae hodieque matronarum dies festus est.

c. IV 12, 18

Hodieque autem Galbae horrea vino et oleo et similibus aliis referta sunt.

sat. I 3, 6—7

Ovum enim hodieque initium cenae est, quippe cum in gusto statim a balneis offeratur. Mala autem apud veteres inter cetera secundae mensae offerebant.

sat. I 4, 123

Ex equestri enim ordine iudices leguntur hodieque.

sat. I 6, 118

Campanam supellectilem intellegi vult, quia Capuae hodie aerea vasa studiosius fabricari dicuntur.

praesens apud Porphyriionem

c. I 22, 13—14

Daunias Apulia dicta a Dauno rege socero Diomedis, quam militarem dixit, quia militiae aptos viros habet.

scholion

c. I 36, 12

Salii sacerdotes Martis et Herculis dicebantur, qui sacra saltatibus celebrabant... (AΓαV).

c. III 8, 1

Kalendis Martiis Matronalia dicebantur, eo quod mariti pro conservatione coniugii supplicabant, et erat dies proprie festus matronis (AΓ'abV).

c. IV 12, 18

Sulpicia horrea dicebantur, ubi nunc Galbae; illic oleum condi consueverat (AV).

sat. I 3, 6

Ovum enim initium cenae erat, quippe cum in gusto statim a balneis offerebatur, mala vero (autem z) in secundis mensis erant (zcZ).

sat. I 4, 123

... quia ex equestri ordine iudices legebantur (Γ'bfVcZ).

sat. I 6, 118

... aenea, quia in Campania dicebantur aeneae res optime fabricari (Γ'fVcZ).

2

praeteritum in scholiis

c. I 22, 13

Militaris] quia viros fortes et aptos militiae habuit (AΓ(rof)V).

Porphyrio

c. I 28, 29

Custodem Tarenti Neptunum ait, quia praecipue Neptunus ibi colitur.

c. I 31, 10—11

Proprie autem culilae calices sunt quidam fictiles, quibus pontifices virginesque Vestales in sacris utuntur.

c. I 37, 2—4

Sacerdotales cenae, quas Salii faciunt, dicuntur esse amplissimi apparatus. Unde in proverbio est Saliarum cenas dicere opipares et copiosas.

c. II 1, 5

Ergo intellegi vult paene adhuc in manibus esse arma civilia. Solent autem ungi arma, cum post bellum transactum reponenda sunt.

c. II 1, 37—38

Nenia lugubre carmen est, quod in mortuos canitur (eademque fere ad c. III 28, 16).

c. II 16, 13—14

Salinum patella, in qua primitiae dis cum sale dantur.

c. III 1, 2

Favete linguis] Hic mos in sacrificiis usurpatur et significat...

Scholion

c. I 28, 29

Vel quia Neptunus apud Tarentum devotius colebatur, vel quia in Neptuni tutelam dicitur fuisse... (AΓαV).

c. I 31, 11

Proprie autem culilli calices dicuntur fictiles, quibus pontifices virginesque Vestales utebantur (AΓαV).

c. I 37, 2

Saliarum cenas, quas Salii faciunt, dicuntur amplissimi apparatus fuisse, unde et in proverbio erat Saliarum cenas dicere opipares et copiosas (AΓαV).

c. II 1, 5

Vult ergo intellegi adhuc in manibus esse arma civilia nec sicut solebat bello <transacto> uncta reposita (AΓαV).

c. II 1, 38

Nenia carmen lugubre quod mortuis dicebatur (AΓαV) (eademque fere ad c. III 28, 16).

c. II 16, 14

Proprie tamen salinum est patella, in qua diis primitiae cum sale offerebantur (AΓαβV).

c. III 1, 1

Haec vox in sacrificiis frequentabatur, qua significant... (AΓ').

Porphyrio

c. III 1, 16

Haec secundum opinionem illam vulgarem dicuntur, qua adfirmatur sorte ductos ad mortem ab Orco trahi.

c. III 4, 15

Bantia oppidum est in Apulia.

c. III 5, 11

Aeternam autem Vestam propter aeternos, qui in ara eius coluntur, ignes dixit.

c. III 14, 11—12

Utrum quem ad modum edicitur, ut cives feriato die litibus iurgiisque se abstineant; <an> ut e contrario in sacrificiis praecipitur „bona omnia habete“.

c. III 18, 9—10

Nonis Decembribus Faunalia sunt, hoc est dies festus Fauni, in cuius honorem pecudes lasciviunt.

c. III 19, 18—19

Ergo tibus Phrygiae dicit, quae sacris Matris Magnae adhibentur, ad quarum cantus tamen solent et convivantes saltare.

c. III 29, 6—8

Turrim Maecenas dicitur in hortis suis extruxisse, unde haec omnia prospectabat.

scholion

c. III 1, 16

... aut secundum opinionem illam vulgarem, qua adfirmabant sorte singulos ab Orco ad mortem trahi (AΓ'αV).

c. III 4, 15

Bantia civitas Apuliae fuit (AΓ'βfV).

c. III 5, 11

Aeternam Vestam propter aeternos ignes dixit, qui in ara eius indefessi colebantur (AΓ'bfV).

c. III 14, 11. 12

Sive quia pro festivitate dierum feriae indicebantur et abstinebatur a litibus iurgiisque, sive quia in sacrificiis praeccepto silentio bona omnia habere iubebantur (AΓ'αbV).

c. III 18, 10

Nonis enim Decembribus Faunalia, <quae> et Faunorum culta dicebantur (AΓ'βV).

c. III 19, 18

Berecynthus urbs est Phrygiae, unde et tibus Phrygiae dicit, quae matris deum sacris adhiberi consueverant, ad quarum cantus et a convivantibus saltabatur (AΓ'Vcbp).

c. III 29, 7

Turrim in hortis suis Maecenas construxisse dicebatur, unde haec omnia prospectaret (AΓ'αbV).

Porphyrio

c. IV 4, 41

Adorea laus belli dicitur fortassis, quod adorandi sint, qui laudem ex bello reportant.

epod. 17, 58

Pontificem nunc quasi censorem ac iudicem dicit, quia pontifices de sacris iudicant.

sat. I 4, 71

Negat se libellos suos edere bibliopolis, qui vel tabernas habeant vel armaria apud pilas.

sat. I 5, 65—66

... a generosis pueris, qui bullam auream egressi pueritiae annos apud lares solent suspendere.

sat. I 6, 113—114

Fallacem vespertinum forum mihi videtur Suburam dicere, quod fere sera hora furtivas res solent eo venum deferre.

epist. I 1, 53

Ad ianos eos, qui sunt in regione basilicae Pauli, faenratores consistunt.

scholion

c. IV 4, 41

Adorea] Laus bellica vocabatur, eo quod victores a victis adorarentur (AV).

epod. 17, 58

Pontificem ait quasi censorem, quia pontifices de sacris iudicabant (Γ'bv).

sat. I 4, 71

Hoc ita posuit, quoniam bibliopolae stationes vel armaria circa pilas vel columnas habebant (Γ'bvčž).

sat. I 5, 65. 66

Solebant pueri, postquam pueritiam excedebant, dis Laribus bullas suas consecrare (Γ'bfVčž).

sat. I 6, 113

Fallacem forum dixit Suburam maiorem, in qua vespere furtivae res semper venundabantur (Γ'Včž).

epist. I 1, 54

Duo Iani ante basilicam Pauli steterunt, ubi erant loca feneratorum. Aliter: Ianus dicebatur locus, in quo solebant convenire feneratores . . . (Γ'abV).

vel ex his locis luce clarius apparet Porphyriorem priorem fuisse quam antiquissimam scholiorum Horatia-

norum recensionem et Porphyrii commentarium fontem esse, ex quo scholiasta Horatii hauserit, idemque docent poetae a Porphyrii et scholiasta laudati.

e fabulis Plautinis in scholiorum recensione A unum tantum exemplum legitur. sed ne hoc quidem scholiasta suo Marte attulit. ad epod. 1, 5 in AV legitur: superstitem pro praesenti posuit, ut Plautus „Nemo hic adest superstes“. quae ex Festo p. 305, 27 sq. sumpta sunt: Superstites testes praesentes significat. cuius rei testimonium est, quod superstitibus praesentibus i, inter quos controversia est, vindicias sumere iubentur. Plautus in Artemone: Nunc mihi licet quid vis loqui, nemo hic adest superstes.

magni vero momenti sunt ii poetae, quos in recensione A laudatos invenimus, a Porphyrii autem negleguntur.

ex Lucano 57 exempla in scholiis ad carmina, epodos, carmen saeculare occurrunt, 56 in A; sed etiam ad epod. 15, 20 Lucanum in recensione A laudatum fuisse veri simile est; nunc hoc loco codice A deficiente in V legitur. Porphyrio Lucanum bis citat.

ex Statio 7 exempla in scholiis ad carmina, epodos, carmen saeculare leguntur, omnia in A; apud Porphyrii Statius deest.

ex Iuvenalis saturis 51 exempla in scholiis ad carmina, epodos, carmen saeculare, saturas, epistulas, artem poeticam invenimus; 43 in A. sed etiam ad epod. 17, 56, ubi nunc codex A deest, locum e Iuvenalis satira in hoc codice fuisse puto. ad epod. 12, 11.12 Iuvenalis exemplum in Γb legitur. 5 exempla in scholiis ad saturas, epistulas, artem poeticam occurrunt; quorum 4 in Γ; unum in V, sed idem etiam in A ad c. I 5, 14 legitur. apud Porphyrii Iuvenalis deest.

ex quibus mihi effici videtur Porphyrii tempore fuisse, quo Lucanus, (nam duo exempla apud Porphyrii nihil demonstrant) Statius, Iuvenalis a grammaticis neglegebantur, Persius autem, quem Porphyrio duodecies affert, magis tractabatur. Persius multo prius a grammaticis usurpatur quam Iuvenalis; iam apud Quintilianum

eum septies invenimus. usque ad Servium hi scriptores ex Persii saturis afferunt exempla: Velius Longus: unum; Censorinus: unum; Marius Plotius Sacerdos: duo; Lactantius: sex; Aelius Lampridius: unum; Charisius: quattuor; Diomedes: quinque; Hieronymus: viginti unum; Augustinus: decem; Servius: triginta unum. Iuvenalis autem primum a Lactantio inst. div. III 29 citatur. Fronto, Gellius, Apuleius eum neglegebant. saeculo IV exeunte studiosius lectus esse videtur, quod apparet ex Ammiano Marcellino XXVIII 4, 14: „quidam detestantes ut venena doctrinas, Iuvenalem et Marium Maximum curatiores studio legunt, nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes“. in Servii in Vergilium commentariis octogies invenitur; praeterea notum est a Nicaeo, Servii discipulo, Iuvenalis recensionem factam esse.

similiter res se habet de Lucano; nam paucis locis apud Frontonem, Vibium Sequ., Diomedem exceptis Servii demum tempore florebat; a quo grammatico centum duodequadraginta loci e Lucano afferuntur.

etiam Statius ante Servium maiore auctoritate non floruit; a Servio duodeseptuagies citatur.

itaque hoc statuendum est, antiquissimam scholiorum Horatianorum recensionem ante Servii tempora oriri non potuisse. si quis enim demonstrare conaretur scholiorum antiquissimam recensionem ad Helenium Acronem redire, nescio, quo modo explanare possit, tot locos e Lucano, Statio, Iuvenale in hac recensione inveniri, at Plautum, Lucilium, Catonem, Varronem plane deesse. si enim Helenius Acron, qui saeculo secundo exeunte vixit, scholia Horatiana confecisset, loci e scriptoribus vetustis petiti non plane deessent; nam Helenium Acronem, qui Terentii Eunuchum et Adelphos „commentariis non indiligentibus“ instruxerat, illis imprimis operam dedisse consentaneum est, praesertim cum eo tempore fuerit, quo veteres scriptores a Frontone, Gellio, Apuleio studiosissime legebantur.

sed adsunt, quibus accuratius scholiorum tempus definiatur. supra p. 22 contra Graffunderum disputantes

nonnulla scholia Servii auctoritate niti demonstravimus. integris vero eius commentariis in comparationem vocatis liquido apparet multo plura scholia cum Servii interpretationibus plane convenire. idque imprimis valet de scholiis ad carmina et epodos Horatii adscriptis, quorum vetustissimus et optimus testis extat codex A (Parisin. 7900). quod quo facilius perspiciatur, ex his scholiis ea quae Servianis cognata sunt ita componam, ut totam materiam in quinque partes distribuam atque proponam:

- I. scholia, in quibus Vergilii aliquis versus commemoratur, quem explicans Servius Horatii ipsius illius versus mentionem facit.
- II. scholia, in quae non hoc solum cadit sed quorum etiam interpretatio cum Servii verbis congruit.
- III. scholia, in quibus Vergilii versus aliquis commemoratur quorumque interpretatio congruit cum verbis, quibus Servius illum versum explicat, Horatii tamen non memor.
- IV. scholia, quae cum Servii verbis Horatii versum in illis ipsis explicatum commemorantis congruunt nec tamen Vergilii huius versus mentionem faciunt.
- V. scholia, quae cum Servii verbis congruunt etsi in neutris alterius poetae mentio fit.

I

scholion	Servius
c. I 3, 35	Aen. VI 15
Pinnis n. h. d.] Vergilius (Aen. VI 15) ... (AΓ'(rLv)cp).	Ausus se credere caelo] quasi alienis sedibus. Horatius (c. I 3, 34)
c. I 6, 6	Aen. XII 527
Pelidae stomachum cedere nescii] invicti, ferocis ut (Verg. Aen. XII 527. 528) . . . (Arp cons. c).	Nescia vinci pectora] Horatius (c. I 6, 6) . . .

scholion

c. I 33, 10

Sic visum Veneri] ut est (Aen. III 2): Sic visum superis (ArV)¹.

c. II 1, 15

... Salonas enim Pollio Dalmatiarum ceperat civitatem, unde et filium suum, eo quod natus ibi erat, Saloninum appellavit, quamvis laurus et poetae conveniat; nam et carmina faciebat. Vergilius (ecl. 3, 86)... (AΓαV).

c. II 6, 17

Ver ubi longum] Vergilius (georg. II 149)... (AΓ).

c. II 14, 23

Invisas cupressos] rogis et luctibus consecratas, ut Vergilius (Aen. VI 216. 217)... et (Aen. III 64)... (AΓab).

c. III 1, 2

Favete linguis] ut (Verg. Aen. V 71)... (AΓV).

c. III 23, 4

Fruge lares] ut (Verg. Aen. II 133)... (AΓabV).

c. IV 1, 36

Inter verba] indicium nimii amoris est subito inter loquendum tacere, ut (Verg. Aen. IV 76)... (AΓαV).

Servius

Aen. III 2

quotienscumque autem ratio *vel indicium* non apparet, „sic visum“ interponitur, ut Horatius (c. I 33, 10)...

ecl. 3, 88

nam vicerat Salonas, civitatem Dalmatiae. Horatius (c. II 1, 15)...

georg. II 149

Hic ver adsiduum] *seu longum*: Horatius (c. II 6, 17)....

Aen. III 64

Atraque cupresso] hinc Horatius (c. II 14, 22)...

Aen. V 71

Ore favete] Horatius *posuit* (c. III 1, 2)...

Aen. II 133

Salsae fruges] fiebat autem de horna fruge et horno sale, ut Horatius (c. III 23, 3.4)...

Aen. IV 76

Incipit effari] sic Horatius (c. IV 1, 35)...

¹ scholiasta non Ovid. met. I 366 videtur in animo habuisse, id quod Keller statuit, sed Verg. Aen. III 2 („immemitam visum superis“); „sic“ ex Servio fluxit.

scholion
epod. 10, 10
Tristis Orion cadit].... unde
et (Verg. Aen. I 535)... (AV).

Servius
Aen. I 535
sicut ait Horatius (epod. 10,
10)...

II

c. I 2, 9
... dammae..., quas Vergilius
masculino genere posuit (ecl. 8,
28).... (ΑΓ'(rav).

c. I 2, 20
Uxorii enim dicuntur uxoribus
dediti, ut Vergilius (Aen. IV 266.
267).... (Arv cons. cp).

c. I 3, 20
Infames scopulos] „Acroce-
raunia“ ideo dicti Graeco voca-
bulo, quod sui altitudine frequen-
tius fulminentur. de his Vergilius
(Aen. III 506)... (ΑΓ'(raLv).

c. I 35, 22
Velata panno].... aut certe,
quia albo panno caput velabant
Fidei sacrificantes; sive propter
ipsam fidem, quae pura est et
alba, vel quae a senibus etiam
maturis colatur. Ut Vergilius
(Aen. I 292)... (ΑΓ'αV).

c. III 12, 1. 2
Lavere pro lavare; sic enim
veteres declinabant: lavit pro
lavat; ut Vergilius (Aen. X 726.
727).. . (ΑΓ'abV).

ecl. 8, 28
.... et dammas masculino
genere posuit.... Horatius (c. I
2, 11)feminino ait....

Aen. IV 266
Uxorius] *nimum* uxori dedi-
tus vel serviens, ut Horatius
(c. I 2, 19)...

Aen. III 506
Vicina Ceraunia iuxta] Ce-
raunia sunt montes Epiri, a
crebris fulminibus propter altitu-
dinem nominati: unde Horatius
(c. I 3, 20) expressius dixit „Acro-
ceraunia“ propter altitudinem et
fulminum iactus.

Aen. I 292
Cana Fides et Vesta].....
canam autem Fidem dixit, vel
quod in canis hominibus inve-
nitur, vel quod ei albo panno
involuta manu sacrificatur, per
quod ostenditur fidem debere
esse secretam: unde et Horatius
(c. I 35, 21)....

Aen. X 727
Lavit] ab eo quod est lavo,
lavis: nam hoc verbum et primae
est coniugationis et tertiae, a qua
nunc ait lavit, item Horatius
(c. IV 6, 26).... item *alibi* (c.
III 12, 1)....

scholion

epod. 5, 21

nam et Hiberiam hic quidam volunt non Hispaniam dictam, sed Ponto civitatem vicinam, unde (Verg. Aen. IX 582)... et illic pro Pontica (AvV).

Servius

Aen. IX 582 (579 apud Thil.)

Hibera autem modo non Hispana, sed Pontica: nam Hiberia pars Ponti est, ut ostendit Horatius (epod. 5, 21) dicens . . .

III

c. I 3, 17

Quem mortis timuit gradum] ac si diceret „genus mortis“. Tres gradus mortis definiuntur: fato, casu, genitura; fato ut (Verg. Aen. X 467): Stat sua cuique dies; casu ut (Verg. Aen. IV 697): Sed misera ante diem; genitura ut (Verg. Aen. X 781): Sternitur infelix alieno vulnere. Unde Stoici fato¹ dicunt, Epicurei casu, Pythagorici genitura hominem mori.

(AΓ'(αLv)cons. cp).

c. I 7, 29

Ambiguam] duplicem Vergilius (Aen. III 180) similiter ambiguam duplicem posuit

(AΓ'cons. aep).

c. I 13, 2

Cervicem roseam] pulchram, ut Vergilius (Aen. I 402) . . (AΓp).

c. I 17, 18

Caniculae vitabis aestus] id est nimios calores, ut (Verg. georg. II 353)... dies caniculares dicit (AΓa cons. Vcp).

Aen. X 467

Stat sua cuique dies] . . . illud namque quod ait in IV (697) s. m. a. d. Epicureorum est, qui casibus cuncta concedunt: nunc quod dicit st. s. c. d. Stoicorum est, qui dicunt factorum statuta servari. (ad. Aen. X 781 exciditne Servii interpretatio?)

Aen. III 180

Ambiguam] non incertam, sed modo duplicem.

Aen. I 402

Rosea] pulchra.

georg. II 353

Hiulca a.] nimiis caloribus fissa.

¹ traditur „Stoici casu dicunt, Epicurei fato . . .“ verborum „casu“ et „fato“ sedes a librario demum mutatas esse vel ex iis quae antecedunt patet.

scholion

c. I 20, 1

Vile] aut novum aut certe abundans, minoris pretii, ut Vergilius (georg. I 227) . . . item (georg. I 274) . . . (AΓ(raf)V).

c. I 21, 9 (scholion corruptum)

Tempe mons et amoena Thessaliae, ut (Verg. georg. II 469) . . . (AΓ(raD)V). (cf. schol. ad. Stat. Theb. I 485).

c. I 22, 6. 7

Per inhospitalem Caucasum] Caucasus, mons Scythiae praeter habitationes hominum, de quo Vergilius (Aen. IV 366. 367) . . . (AΓ(raf)V).

c. II 3, 12

Trepidare rivo] festinare, ut (Verg. Aen. IX 114) (AΓEV). (idem legitur ad c. II 4, 23 in AΓa[V]).

c. II 6, 11

Regnata] participium est sine verbi substantia, ut Vergilius (Aen. III 14) . . . (AΓV).

c. II 10, 17

Generalis sententia non semper eandem manere fortunam, ut Vergilius (Aen. IV 627) . . . et „olim“ pro futuro tempore posuit (AΓ'abV).

c. II 16, 9

Non enim gazae] divitiae, ut (Verg. Aen. I 119) . . . (AΓ'abV).

c. III 1, 28

Antitheta cadentis et orientis, quae aut in ortu aut in occasu faciunt tempestates, ut (Verg. georg. I 205) . . . et alibi (Aen. IX 668) . . . (AΓ'αV).

Servius

georg. I 227

Vilem] plurimum, abundantem: nam omne quod abundat vile est, ut (georg. I 274) . . .

georg. II 469

Tempe sunt proprie loca amoena Thessaliae, abusive cuiusvis loci amoenitas.

Aen IV 367

Caucasus] mons Scythiae inhospitalis.

Aen. IX 113 (Thil.)

Ne trepidate] pro „ne festinetis“.

Aen. III 14

Regnata] participium *est* sine verbi origine. (cf. Serv. ad georg. IV 488 et Serv. Dan.)

Aen. IV 627

modo „olim“ futuri temporis e. q. s. (ipsius Servii interpretatio servata non est). Porphyrio: „olim“ nunc futuri temporis est.

Aen. I 119

Gaza] Persicus sermo est et significat divitias.

georg. I 204

arcturus . . ., cuius ortus et occasus tempestates gravissimas facit . . . *et alibi* (Aen. IX 668).

scholion

cf. etiam schol. ΑΓα[Vcp] ad
c. III 7, 6.

c. III 2, 2

Puer] pro filio posuit, ut Ver-
gilius (Aen. IV 94) ... (ΑΓb).

c. III 3, 4

Mentem solidam dicit... aut
certe mentem pro consilio in-
tellegi voluit, ut Vergilius (Aen.
XII 554) ... (ΑΓαV).

c. III 3, 12

Purpureo ore] pulchro, ut est
(Verg. Aen. II 593) .. (ΑΓ[b]EVc).

c. III 3, 20

Helenam peregrinam dixit ad
exaggerationem, ut Vergilius (Aen.
IV 211) ... (ΑΓbEV).

c. III 4, 54

Aut quid minaci] sublimi, emi-
nenti, ut (Verg. Aen. II 240) ...
(ΑΓbf[vV]).

c. III 24, 15

Defunctum] liberatum, ut (Verg.
Aen. VI 83) ... (ΑΓb).

c. III 27, 11

cf. supra p 22.

c. IV 5, 6

Instar veris] pro similitudine ve-
ris, ut (Verg. Aen. II 15) .. (Α[Vcp]).

c. IV 5, 11

Cunctantem] morantem, ut
(Verg. Aen. IV 133) ... (AV).

Servius

georg. I 205 .. hoc quoque
signum tam ortu quam occasu
suo efficit tempestates.

Aen. IX 668 (665 Thil.) ...
quorum et ortus et occasus tem-
pestates gravissimas facit.

Aen. IV 94

Puer] filius.

Aen. XII 554

Mentem] consilium.

Aen. II 593

Roseo] pulchro.

Aen. IV 211

et est exaggeratio.

Aen. II. 240

Minans] vel eminens, ut (Aen.
IV 88) vel minitans.

Aen. VI 83

„Defuncte“ autem liberate.

Aen. III 361

Aen. II 15

„Instar“ autem est ad simili-
tudinem.

Aen. IV 133

Cunctantem] morantem.
cf. Porph.

praeterea huc pertinent, ita tamen ut minus gravis sit consensus:

scholion
 c. I 1, 1. 2 (AΓ'(ra[v]) cons. cp).
 c. I 1, 3 (AΓ'([rf]v)cp).
 c. I 1, 19 (AΓ'(ra[v]c)p).
 c. I 1, 29 (Arvc cons. p).
 c. I 2, 1 (AΓ'(rav) cons. cp).
 c. I 3, 24 (AΓ'(raLv) cons. cp).

 c. I 7, 11 (A[Γ']cons. ocp).
 c. I 17, 27 (AΓa cons. cp).
 c. I 19, 6 (AΓ(raf)[V]cp).
 c. I 37, 4 (AΓ).
 c. II 8, 10 (AΓav).
 c. II 16, 10. 11 (AΓ'abV).
 c. IV 6, 17 (AV).
 c. IV 9, 19 (AV).

Servius
 Aen. I 606; ecl. 8, 44.
 georg. III 202.
 georg. III 526.
 ecl. 7, 25.
 ecl. 5, 20. 21; georg. I 466.
Aen. I 112 (Servii interpretatio periisse videtur).
 Aen. II 197.
 Aen. I 655.
 Aen. III 126; Aen. I 593.
 Aen. XI 740.
Aen. II 255.
 Aen. I 726.
 Aen. X 735.
 Aen. II 261.

IV

c. I 3, 4
 Iapyga] ventus utilis de Apulia flans Athenas petentibus; Graece Ἀργεστής dicitur (AΓ'(raLv)cons. cp).

Aen. VIII 710
 Iapyge] vento, qui de Apulia flans optime ad orientem ducit; Horatius (c. I 3, 4).....; *quem Varro de ora maritima argesten dicit, qui de occidente aestivo flat.*

c. I 12, 11
 Et auritas quercus] sensum audiendi habentes (AΓ'cp).

georg. I 308
 Auritos... lepores] id est maiores habentes aures. Horatius (c. I 12, 11) aliter ait „doctum et auritas... quercus“, sensum audiendi habentes.

c. I 13, 2
 Cerea brachia] aut mollia aut ceræ similia (AΓ'acp sim.o).

ecl. 2, 53
 Cerea pruna] aut cerei coloris, aut mollia. Horatius (c. I 13, 2)...

c. I 14, 5
 Malum summitatem arboris dixit, ut (Verg. Aen. V 828. 829...

Aen. V 487
 malus, arbor navis, generis est masculini. Horatius (c. I 14, 5)

scholion

sed arbor generis feminini est, poma vero neutri, ut (Verg. ecl. 3, 71) ... (AΓcons. cp).

c. I 34, 5

Diespiter] diei pater, Iuppiter. (AΓ(rf)V).

c. I 36, 4

Ultimam Hesperiam Hispanias dixit. Hesperia autem ab Hespero dicta, quasi in occidentali plaga (AΓαV).

c. II 16, 29

Tithonus, maritus Aurorae, tarde mortuus est per damna deficientis aetatis; vivendo enim in cicadam conversus dicitur. (AΓ'abV).

c. I 1, 15

Icarus, Daedali filius, pinnis resolutis, quas cera illigatas arte patris sumpserat, in mare corrui et nomen inposuit mari Icarium. (Arv cons. cp). (cf. schol. ad c. IV 2, 1: ... Icarus, altum petens ...)

c. I 19, 14

Verbenas] herbas sacras, ut (Verg. ecl. 8, 65) ... et (Terent. Andr. IV 3, 11) ... AΓ(ra)Vcp).

Servius

„nec malus“... et dictus est malus, vel quia habet instar mali in summitate, vel quia quasi quibusdam malis ligneis cingitur ...

Aen. IX 567

Iuppiter ... ipse est nostra lingua Diespiter, id est diei pater: Horatius (c. I 34, 5) ...

Aen. I 530

Hesperiae duae sunt, una quae Hispania dicitur, altera quae est in Italia. quae hac ratione discernuntur: aut enim Hesperiam solam dicis et significas Italiam, aut addis „ultimam“ et significas Hispaniam, quae in occidentis est fine, ut Horatius (c. I 36, 4) ... et haec est vera Hesperia, ab Hespero dicta, id est stella occidentali.

Aen. IV 585

hunc (i. e. Tithonum) ... quem longinquitas vitae in cicadam convertit. Horatius (c. II 16, 30) ...

V

Aen. VI 14

Icarus, altiora petens, pennis solis calore resolutis, mari, in quod cecidit, nomen *Icarium* inposuit.

Aen. XII 120

verbena proprie est herba sacra ... Terentius (Andria IV 3, 11) ...

scholion
c. II 2, 9
... quia Carthago et in Hispania est, quam Spartariam vocant (AΓαV).

c. III 23, 14
cf. supra p. 21.

conferantur
c. I 1, 3 (AΓ'(rfv)cp).
c. I 1, 28 (Arvcp).
c. I 4, 13 (AΓ'(rav)p cons. c).
c. I 28, 7 (cod. r).
epod. 3, 17 (AvV).
epod. 17, 48 (Γ'bV).

etiam haec:
georg. III 202 et I 59.
Aen. IV 131.
georg. I 277.
georg. III 7.
Aen. VIII 300.
Aen. V 64.

iam sequantur scholia ad sermones, quae cum Servianis congruant, secundum versuum ordinem composita:

sat. I 1, 5
Membra] figurate „fractus membra“ sicut (Verg. Aen. IX 582): „Pictus acu tunicam“ [id est fracta membra habens *om. cZ*] (Γ'bfLVcZ). (cf. schol. codd. rvcp ad c. I 1, 21 membra stratus] figura ut (Verg. Aen. I 228): oculos suffusa nitentes. quibuscum et Servius et schol. Stat. Theb. II 506, IV 365 consentiunt).

sat. I 1, 10
Sub galli cantum] prope galli cantum, ut (Verg. Aen. I 662)... „Sub“ autem, quotiens tempus significat, accusativo iungimus, quotiens locum, ablativo (Γ'fLVcZ).

sat. I 1, 25
Crustula quando neutraliter dicimus, edulia significamus, ut apud Vergilium (Aen. VII 115)... quando feminino „haec crusta“,

Servius
Aen. VI 843
apud Carthaginem novam, quae Spartaria dicitur.

Aen. IV 57.

ad Aen. IX 582 (579 Th.)
Pictus acu chlamydem] hoc est habens chlamydem Phrygiam . . . et est figuratum „pictus chlamydem“.

Aen. I 662
Sub noctem] circa noctem. et sciendum, quia, cum tempus significatur, sub praepositio accusativo cohaeret. (cf. gloss. Vergil. (CGI L IV 465, 13): sub subter vel prope.)

Aen. VII 115
„Crustum“ autem et „crusta“ neutraliter dicimus de his quae comedi possunt. Horatius (sat. I 1, 25)..; feminino autem genere

scholion

fragmenta significat, ut apud eundem Vergilium (georg. III 360)... (Γ'fVcZ).

sat. I 2, 78. 79

Unde] id est a quo, ut (Verg. Aen. I 6) „genus unde Latinum“. Non est autem loci, sed personae (Γ'bVcZ).

sat. I 2, 84

Honesti] id est pulchri, ut poeta (Verg. georg. II 392) .. (Γ'VcZ).

sat. I 3, 31

Et male latus] non male latus, sed male haeret, pro non haeret, ut (Verg. Aen. IV 8)... (Γ'b). (sat. II 2, 8: „male examinatus“ aut „male verum“ id est non verum, ut (Verg. Aen. IV 8)... (Γ').

sat. I 3, 98

Inter iustum autem et aequum haec differentia est: iustum est, quod ex lege descendit, aequum vero, quod ex natura, ut Maro (Aen. VII 203) ... (Γ'bVcZ).

sat. I 4, 87

Quavis] quo modo vis, [vel] qua ratione vis, ut poeta (Verg. Aen. I 676) ... (Γ'bVcZ).

sat. I 5, 32

Translatio a marmoribus, quorum iuncturae explorantur unguibus. Persius (I 64. 65) .. Vergilius (georg. II 277. 278) (Γ'bVcZ). (cf. etiam Porph.).

Servius

fragmenta dicimus, quae comesse non possumus, ut (georg. III 360) ... (cf. etiam Serv. ad georg. III 360 et Thesaur. gloss. emendat. s. v. „crustum“).

Aen. I 6

prima est iucunda absolutio, ut „unde“ non referas ad personam, sed ad locum; namque „unde“ adverbium est de loco, non de ductu a persona. (cf. etiam Serv. Dan. ad hunc locum p. 13, 8.)

georg. II 392

Honestum] pulchrum.

Aen. IV 8

Male sana] non plene sana, amore vitiata; male enim plerumque non, plerumque minus significat ...

Aen. II 426:

iustum secundum leges vel aliqua ratione constrictum, „aequum“ iuxta naturam accipiunt. (cf. Isid. orig. X 7 et 124; diff. verb. 68).

Aen. I 676

Qua] id est quo modo. (cf. Thesaur. glossar. emendat. s. v. „qua“).

georg. II 277

et est translatio a marmorariis, qui iuncturas *marmorum* unguibus probant: Horatius (sat. I 5, 32) ... (cf. schol. ad Pers. I. 65).

scholion
sat. I 6, 68
cf. supra p. 22.
sat. I 9, 33
Quando c. cumque] tmesis est
„quandocumque consumet“; ut
(Verg. georg. III 381) . . . (Γ'fVcZ).
sat. I 10, 31
Atque ego cum facerem] cum
facere vellem, ut (Verg. ecl.
6, 3) . . . (ΓcZ).
sat. II 1, 48
Canidia Alb.] deest filia, ut
Vergilius (Aen. VI 36) . . . alii
(i. e. Porph.) uxorem dicunt. (Γ'cZ).
sat. II 3, 9
Minantis] hic promittentis,
unde poeta (Verg. Aen. II 96) per
contrarium . . . pro minatus sum.
(rvVcZ).
sat. II 7, 102
Libo fumante] placentae genus,
vel certe panis, ut Vergilius (Aen.
VII 109) . . . (Γ'Ez).
epist. I 6, 1
Una] unica et praecipua, ut
(Verg. Aen. V 704 . 705) . . . (Γ'abf).
epist. II 1, 8
Componunt] finiunt, ut Ver-
gilius (Aen. I 374) . . . (Γα).
a. p. 35
Componere] comparare, ut
Vergilius (ecl. 1, 23) . . . (Γ'ab.)

Servius
Aen. III 647
georg. III 381
Septem subiecta Trioni] tmesis
est pro „septemtrioni . . .“
ecl. 6, 3
Cum canerem] cum canere
vellem.
Aen. VI 36
Deiphobē Glauci] subaudi „fi-
lia“.
Aen. II 96
Promisi] per contrarium ait
pro minatus sum, quia minamur
mala, promittimus bona. sic Ho-
ratius contra (sat. II 3, 9) . . . id
est promittentis.
Aen. VII 109
ador proprie est genus farris,
liba autem sunt placentae de
farre, melle et oleo, sacris aptae.
(cf. Nonius p. 52, 25 et Isidor.
or. XX 8, 24).
Aen. V 704
Unum] praecipuum.
Aen. I 374
Componet] finiet (cf. Serv. ad
ecl. 3, 108; Non. p. 257, 1;
Thesaur. glossar. emendat. s. v.
„componere“).
ecl. 1, 23 (p. 8, 19)
Componere] comparare.

scholion

a. p. 151

Remiscet] pro commiscet, mutata praepositione, ut apud poetam (Verg. Aen. II 52) . . . pro concusso (ΓbVZ).

a. p. 155

Aulea] . . . aulea autem dicta eo, quod in aula Attali regis inventa sunt devicto eo (ΓVcZ).

a. p. 457

Ructatur] pro ructat, ut Cicero (in Catil. II 5, 10) . . . (Γ'bf sim. cZ).

Servius

Aen. II 52

Recusso] pro concusso, praepositio pro praepositione. (cf. Thesaur. glossar. emendat. s. v. „recussum“).

Aen. I 697

quae ideo aulaea dicta sunt, quod primum in aula Attali regis Asiae, qui populum Romanum scripsit heredem, inventa sunt. (cf. Isidor. orig. XIX 26, 8).

Aen. III 576

Eructans] ructo, ructas tantum facit: sic etiam Cicero „eructant . . . caedem bonorum“ (in Cat. II 5, 10) Vergilius . . . Horatius (a. p. 457) usurpavit . . . (cf. Fest. p. 262, 7—15 et Paul. Festi p. 263: Ructare] non ructari dicendum est. Flaccus: „Videres alios ructare ac respuere pulcherrima superbia“. Cicero tamen ructaretur dixit).

omnibus his locis accuratius examinatis scholiorum ad Horatii carmina et epodos adscriptorum permulta apprime concinere cum Servii commentariis Vergilianis eorumque magnam partem prorsus ab illis pendere facile intellegitur. longe autem aliter sese habent scholia quibus sermones Horatii explicantur. neque enim solum numerus locorum Servianis similium in iis multo minor est, quippe qui ne tertiam quidem partem eorum efficiant, qui in scholiis carmina explicantibus cum Servio congruunt, sed ipsa etiam similitudo verborum et sententiarum multo minus gravis est. nonnulla in aliis quoque commentariis librisque grammaticis occurrunt, velut quae in scholiis ad sat. I 5, 32; II 7, 102; epist. II 1, 8; a. p. 457 leguntur; nonnulla ut scholia ad sat.

I 3, 98 et a. p. 155 vel ex Isidoro videntur fluxisse. semel scholiasta — ad sat. I 2, 78 sq. — et Servius eundem Vergilii versum — Aen. I 6 — tractantes aperte inter se pugnant.

neque vero hac tantum re differunt scholia carminum a sermonum scholiis. ad carmina, i. e. in vol. I editionis Kellerianae fere *octingenties* commemoratur Vergilius, ad sermones, i. e. in vol. II non plus quam *centies*. atque hic saepius „Maro“ vel „poeta“ nominatur, quod illic nusquam fit¹. e Iuvenalis saturis *quadraginta septem* testimonia in vol. I petuntur, *quinque* tantum in vol. II, quamquam iure putaveris eius afferendi multo frequentiore fuisse facultatem in sermonibus interpretandis, praesertim cum Persii saturarum tantum in vol. II, numquam in vol. I mentio fiat. Lucanus *quinquies* in vol. I (nec nisi in codice A) commemoratur, ne semel quidem in vol. II. etiam Stadius tantum in vol. I adhibetur.

praeterea veteres scriptores in vol. I fere non occurrunt; nam duorum locorum e fabulis Plautinis alter ex Festo, alter e Porphyryone fluxit. etiam ex Ennio duobus locis exceptis exempla tantum in vol. II invenis. versus Lucilii et Lucretii nisi in volumine altero non legimus. nec denique Porphyryonis commentum totiens exscriptum est in vol. II quotiens in I.

plurimum igitur interesse inter scholia carminum et sermonum vel ex iis quae attuli satis elucet. neque vero difficile est dictu, quomodo haec differentia explicanda sit.

de carminibus Horatianis praesto est unius cuiusdam hominis grammatici commentum. hoc fere integrum servavit antiquissimus testis codex A, desinens in epod. 14, idemque pro fundamento etiam est ceteris codicibus. fragmentum codicis A, scholia ad epod. 16, 33—17, 50 continens, Keller post editionem voluminis prioris scholi-

¹ hoc iam observavit Keller Symbol. phil. Bonnens. p. 501, 76 et in editionis praefatione.

orum Horatianorum detexit in scidis Hamburgensibus¹. desunt itaque scholia A tantum in epod. 15, 1—16, 32 et 17, 51—76; praeterea evanuerunt schol. A ad epod. 16, 62—66.

quod commentum qui composuit, non solum Servii commentariis saepius usus est, sed artiore etiam vinculo cum eo videtur coniunctus fuisse. nam ut ille Vergilio studiosissimus fuit, eorundem potissimum poetarum utitur testimoniis quibus ille, similem atque ille interpretandi rationem multis locis sequitur. et cum ne tantillum quidem talis necessitudinis ei intercedat cum aliorum poetarum commentariis, a vero vix aberres, si eum ex Servii discipulis fuisse conicias².

contra quae ad sermones leguntur scholia leguntur que in iisdem codicibus, qui in interpretandis carminibus Serviani illius grammatici opere (codice A servato) nuntuntur, non unum neque simplex commentum efficiunt, sed variam farraginem praebent ex diversis officinis corrasam, ita ut binae saepe vel ternae eiusdem rei sive sententiae explicationes iuxta positae offerantur³. in copiis autem, ex quibus ea conflata sunt, certe Serviani illius grammatici commentum non fuit, sive quod illud mature intercidit sive quod ille opus suum imperfectum reliquit⁴.

hinc autem facile alia quoque res explicatur, qua commentum carminum a sermonum scholiis differt. haud

¹ fragmenta Hamburgensia adiecta sunt in addendis vol. II p. 510 sq. cf. praefat. vol. II p. III sq.

² non ob stare videtur huic coniecturae, quod ad c. I 35, 22 legimus „albo panno caput *velabant* Fidei sacrificantes“, apud Servium autem ad Aen. I 202 „ei albo panno involuta manu *sacrificatur*“. nam anno 391 deorum sacra interdicta sunt. cf. V. Schultze, Untergang des griech.-roem. Heidentums.

³ saepius in eiusdem rei explicationibus praesens et praeteritum legitur; cf. e. gr. schol. ad sat I 5, 65 et I 6, 113.

⁴ itaque omnino fieri nequit id quod Wessner in censura vol. II scholiorum editionis Kellerianae flagitavit... „es muss .. versucht werden, das, was in Γ'V auf A, bezw. seine Quelle zurückgeht, zu ermitteln“. (Berl. phil. Wochenschr. 1905 p. 252).

raro in scholiis utriusque voluminis aliorum sententiae commemorantur idque fieri solet verbis *quidam, nonnulli alii dicunt, volunt* similibus usurpatis, quos locos collectos sub uno ponere adspectu eo magis e re erit, quia in indice Kelleri non, ut ab Holdero in Porphyriosis editione factum est, indicati sunt, atque his quidem locis aperte de interpretibus Horatii agitur:

c. I 14, 1

Per allegoriam ode ista bellum civile designat, ut quidam volunt, alii rem publicam. Certius tamen est, quod Sextum Pompeium filium Pompei moneat (AΓα cons. cp).

c. I 24, 1

Consolatur hac ode Vergilium impatienter Quintili amici sui mortem lugentem (AΓαοV).

. . . Quidam autem fratrem Vergilii hunc volunt esse (AΓαV).

c. III 1, 13

Contendat] Nonnulli autem distinguunt, ut „hic melior fama et moribus contendat“ . . . potest autem et sic dici . . . (Γ'αV).

c. III 3, 62

Hoc quidam (i. e. Porphyrio) ideo dictum volunt, quod Fimbria, legatus Cinnae, Ilium temporibus Sullanis oppugnaverit ac diruerit, qui mox seditione militum peremptus est (AΓαV).

c. III 3, 67. 68.

Et uxor capta virum] Quidam Andromachen intellegi volunt propter Hectorem et Astyanacta (AΓbEV).

c. III 6, 17

Quidam etiam volunt ipsum Augustum his versibus tangi, qui alienam coniugem tulerit (AΓαV).

c. III 19, 1

Alii volunt reprehendi Telephum, quod, quantum temporis interesset ab Inacho usque ad Codrum, quaereret (AΓV).

epod. 3, 21

Quidam volunt Terentiam concubinam Maecenatis eum significare voluisse (AvV).

epod. 5, 21

Nam et Hiberiam hic quidam (ut Porphyrio) volunt non Hispaniam dictam, sed Ponto civitatem vicinam, unde (Verg. Aen. IX 582) et illic pro Pontica (AvV).

epod. 17, 20

„Amata“ vocativum casum quidam volunt (ΓbV).

epod. 17, 51

Nonnulli „exilis puerpera“ intellegunt, ut maciem eius notet (ΓbV).

sat. I 2, 22

„Atque“ pro „quam“, ut sit pronomen „hic“, hoc est avarus. Alii sic exponunt: „hic“ adverbium, ut sit „in hoc loco“ (ΓbVcz).

sat. I 3, 29.30

Alii sic exponunt: habet aliqua vitia . . . (ΓbfVcz).

sat. I 3, 31

Quidam dicunt de Caesare hoc dictum esse, quia fluebat eius semper toga, id est non erat bene composita, et imperito tonsore utebatur (ΓbfVcz).

sat. I 5, 51.53

Quidam reprehendunt Horatium, quia de rixa dicitur petivit auxilium Musae: stulte, nam oratorie hoc fecit (ΓbfVcz).

sat. I 6, 113

„Circum“ multi nomen volunt, nonnulli praepositionem . . . (ΓfVcz).

sat. II 8, 40.41

Alii exponunt sic: „laeti“ electi viri . . . Alii sic distinguunt . . . (Γ).

epist. I 20, 1

Hac epistola alloquitur librum suum . . . sed multi reprehendunt illum . . . Quorum reprehensio refutatur (ΓφεV).

a. p. 24.25

Quidam dicunt aliud praeceptum esse, alii dicunt de oeconomia adhuc illum loqui (Γ'(rav)bVcZ).

a. p. 67

Ἀπὸ κοινοῦ sive generaliter quidam volunt accipere (Γ'acZ).

a. p. 120

Alii sic exponunt: „poni“ dicitur „agi“ vel „scribi“, „reponi“ igitur id est „itidem scribi“ (ΓabVcZ).

a. p. 193.194

Alii sic exponunt: etiamsi mulierum (ΓbcZ).

ceteris locis, ubi similibus verbis ad auctores quosdam non nominatos provocatur, pro certo dici non potest interpretes Horatii spectari, quamquam horum quoque locorum haud paucos ad commentarios in Horatium redire nemo negabit. quos perspicuitatis causa ita digeram, ut ex ordine indicem scholia quibus agitur

I. de personis.

II. de historiis fabularibus.

III. de rebus geographicis.

IV. de significationibus verborum. huc accedunt

V. ii loci, quibus variae lectiones commemorantur.

I

c. II 2, 17. *epod.* 16, 17. *sat.* I 2, 121. I 3, 47. I 3, 86. I 3, 130. I 4, 65. 66. I 6, 41. 42. I 8, 39. I 9, 22. II 1, 48. II 2, 50. II 3, 75. *epist.* I 1, 30. I 12, 1. a. p. 1. 345.

II

c. I 2, 20. c. s. 33. 41. *sat.* II 7, 14. *epist.* I 10, 49. II 1, 49. a. p. 124.

III

c. I 28, 3. II 9, 20. III 7, 3. *sat.* II 6, 35. II 8, 39. *epist.* I 17, 8.

IV

c. I 1, 34. I 25, 10. I 36, 14. II 13, 21. II 19, 3. III 4, 2. III 28, 3. IV 2, 11. IV 4, 1. *epod.* 2, 53. 5, 65. 9, 16. 11, metr. expl. *sat.* I 1, 71. I 2, 9. I 2, 45. I 2, 62. 63. I 2, 76. I 2, 101. I 2, 129. I 3, 48. I 4, 63. I 5, 47. I 6, 104. I 6, 106. I 6, 111. I 6, 117. I 7, 2. I 9, 70. I 9, 76. II 4, 58. II 4, 60. II 4, 83. II 7, 17. II 8, 51. *epist.* I 1, 2. I 1, 93. I 3, 18—20. I 14, 14. I 14, 43. I 15, 34. I 17, 55. *a. p.* 32. 202. 288. 453¹.

V

epod. 17, 53. 17, 75. *sat.* I 2, 50. I 3, 56. I 4, 131. I 6, 87. I 8, 19. II 2, 38. II 3, 126. II 3, 201. II 3, 235. II 5, 11. II 7, 73. II 8, 52. *epist.* I 1, 30. II 2, 8.

ex hoc conspectu liquido apparet multo saepius in sermonum scholiis quam in carminum commento auctores afferri. neque dubium esse potest, quin hoc inde explicetur, quod sermonum scholia, ut antea dictum est, ex diversis libris compilata sunt. fortasse in vol. II antiquiores auctores adhibiti sunt quam in vol. I. num vero in horum numero etiam Helenius Acron fuerit, solido fundamento deficiente aequè difficile est affirmare atque negare.

I scholiastam etiam aliis locis similibus fontibus usum esse apparet ex scholio ad c. I 27, 8: Inter accumbere autem et discumbere et recumbere hoc interest: accumbere deorum est, ut (Verg. Aen. I 79) . . . discumbere hominum, ut (Verg. Aen. I 700) . . . recumbere ferarum, ut (Verg. Aen. VIII 297) . . . (ΑΓαV). quae ex vetere differentiarum scriptore manasse videntur; nam eadem fere inveniuntur in codice olim Bobiensi, nunc Vindobonensi XVI saec. VII/VIII fol. 68v, ubi nonnullae differentiae vocum compositae sunt (apud Eichenfeld et Endlicher, *Analecta grammatica* maximam partem anecdota, Vindobonae 1837 p. 226.): Inter accumbere, discumbere, recubare quid interest? accumbere est proprie deorum; Vergilius (Aen. I 79) . . . et dictum a cubitis. discumbere hominum est; Vergilius (Aen. I 700) . . . etymologia verbi est: disco incumbere. recubare ferarum est; Vergilius (Aen. VIII 297) . . .

postquam de auctoribus dictum est, a quibus scholia Horatiana pendent, de scriptore lubet monere, qui his rursus scholiis usus est, Mythographorum Vaticanorum dico secundum. Mythographus Vaticanus primus pro fundamento narrationum suarum habuit in primis Servii in Vergilium commentarios¹; Mythographo I. usus est Mythographus II, nonnulla mutans aut addens, qua in re etiam scholia Horatiana adhibuit.

ratio, quae intercedat inter scholia et Mythographum Vaticanum II optime apparet ex scholio ΑΓ ad c. I 16, 13 collato cum Mythographo II 63 et Porphyrione ad c. I 16, 15. Porphyrione usus est scholiasta A verba eius amplificans. quae additamenta cum inveniuntur etiam apud Mythographum II, non Porphyrione sed scholio A eum usum esse apparet. nam quae leguntur et in scholio et apud Mythographum enuntiata „prout erat eorum natura“ et „timorem a lepore“ e. q. s. apud Porphyrionem desunt. et quod Mythographus verbis scholiastae „ceteraque a reliquis“ substituit „a serpente prudentiam, a columba simplicitatem“ commotus est ev. Matthaei 10, 16 „estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae“. nam neque Graecis neque Romanis unquam aut serpens prudentiae aut columba simplicitatis fuit exemplum. notatu dignum est etiam hoc, versum Horatianum „leonis vim stomacho adposuisse“ in „vim leonis st. a.“ mutatum esse. Mythographum II scholiis Horatianis usum esse non minus firmo est argumento, quod, cum Mythographo I integras narrationes 220--223 adderet, ordinem scholiorum accurate servavit. respondent enim inter se:

Mythographus II 220 et schol. ad. epod. 6, 13	
II 221 et	epod. 6, 14
II 222 et	a. p. 402
II 223 et	epist. I 19, 15.

¹ locos Servianos aliosque Mythographi fontes iam Bode in volumine altero editionis suae indicavit; nuper „de Mythographi Vaticani primi fontibus“ fusius disputavit Ricardus Schulz in dissertatione Halensi a. 1905.

artem poeticam apud Mythographum post epodos et ante epistulas occurrere singulare non est. sane in scholiis nunc ars poetica post epistulas legitur, sed vestigium pristini ordinis servavit schol. Γ'αV ad epist. I 3, 14 ampullatur] ut superius (a. p. 97) „proicit ampullas“. Porphyrio quoque artem poeticam post carmina ante carmen saeculare tractat¹.

Porphyriionis et Mythographi I ubi extant narrationes quod adscripsi, ideo factum est, ut clarius perspicia- tur a scholiis Mythographum II pendere.

iam sequantur loci e Mythographo Vaticano II², qui e scholiis Horatianis hausti sunt*.

Porphyrio c. I 16, 13	scholion c. I 16, 13	Mythograph. II 63
Ait autem Prometheum, <cum> limo homines fingere<t> ³ , iussum ex omnibus animalibus particulas homini adponere „vim leonis stomacho adposuisse“; idcirco iracundia magis nos incendi quam ulla alia animalia.	Ait autem Prometheum, cum limo homines fingeret, iussum ex omnibus animalibus particulas, prout erat eorum natura, homini adponere, unde „vim leonis stomacho apposuisse“, idcirco quod iracundia magis accendamus. Timorem a lepore ponunt, a vulpe astutiam ceteraque a reliquis (AΓα cons. ocp).	Prometheus cum hominem fingeret, iussu deorum ex omnibus animalibus particulas, prout erat eorum natura, ei apponebat. Unde vim leonis stomacho dicitur apposuisse idcirco, quod iracundia magis accendamus, timorem a lepore, astutiam a vulpe, a serpente prudentiam, a columba simplicitatem.

¹ de variis librorum ordinibus cf. nunc F. Vollmer, Die Überlieferungsgeschichte des Horaz p. 289 sq.

² Mythographorum I et II codicis Reginensis 1401 collatione sua uti liberaliter mihi concessit O. Rossbach. Mythographi II c. 202 deest in hoc codice. A. Mai supplevit hanc partem ex alio quodam codice saec. XV.

³ Prometheum limo homines fingere iussum <et> Holder.

* plagulas mihi legenti affertur F. Keseling, de Mythographi Vaticani Secundi fontibus, diss. Halens. a. 1908.

scholion

c. II 14, 20

haec autem apud inferos Sisyphum poena manere dicitur, ut saxum contra montis verticem volvat, quo semper relapso finem numquam meretur laboris; de quo Vergilius (Aen. VI 616)... Pro hoc tamen flagitio tali poena percussus est, quia Eginam, Asopi filiam, Iuppiter adamavit eamque custodiae patris furtim subripuit et factum Sisypho confessus est. Ille humana levitate quaerenti patri prodidit. hinc tali apud inferos poena damnatus est (AΓ'abV).

epist. I 12, 7

... Mida rex, qui petens ab Apolline, ut omnia, quae tangeret, aurum efficerentur, postea doluit, quia cibum tangere non potuit, quin statim in aurum verteretur, conversusque ad preces

Mythograph. II

105

quod scelus luendo dicitur apud inferos contra montis verticem saxum volvere, quo semper relapso, numquam volvendi labore quiescere. dicitur autem idem Sisyphus, Iove se Aeginam, Asopi fluminis filiam, rapuisse sibi confesso, hoc quaerenti patri infida levitate prodidisse, et ob hoc tali apud inferos poena damnatus esse.

117

Mida rex ab Apolline petiit, ut omnia, quae tangeret, aurum fierent. Quo concesso, voti sui effectu coepit torqueri, quia cibum tangere non potuit, quin in aurum statim verteretur. Conversus ad pre-

Mythograph. I

165

Sisyphus pro hoc tali poena multatur, quia Aeginam, Asopi filiam, Iuppiter amavit, eamque custodi patris clam surripuit; et factum Sisypho confessus est, quod ille humana levitate patri quaerenti prodidit: inde saxum sine fine contra montem rotare dicitur.

88

Ille vero petit, ut, quae contigisset, aurum fierent. Quod inutile fuit. Nam coepit sui voti effectu torqueri, quia quicquid tetigerat, aurum statim efficiebatur. Cui petenti, ut restitueretur sibi, fecit. Iussit enim, ut

Apolline responsum dante <ter>¹ mer-
sit caput in Pactolum
fluvium sicque ipse
privatus est poe-
na et Pactolus au-
ream harenam traxit.
(ΓV).

ces, responsum ab
Apolline accepit, ut
si ter in Pactolum flu-
vium capite merge-
retur, poena mox
privaretur. Quo
complexo² ipso poe-
nam evadente, fluvius
exinde aureas dicitur
harenas habuisse.

ad flumen Pactolum
perveniret, ibique se
subponeret, et sic
rediret in pristinum
statum. Quo facto
Pactolus deinceps a-
renas aureas trahere
dicitur.

scholion

epod. 6, 13

Lycambes habuit filiam Neo-
bulem. hanc cum Archilocus in
matrimonium postulasset, pro-
missa nec data est a patre. hinc
iratus Archilocus in eum male-
dicum carmen scripsit, quo tanto
est dolore compulsus, ut cum
filia laqueo vitam finiret (AV).

epod. 6, 14

... Illud tamen verius volunt
fuisse:

Bupalum pictorem fuisse apud
Laudiomenas, civitatem Asiae.
hic Hipponactem quendam po-
etam deformem pro risu pinxit;
quo ille furore commotus tali
eum carmine perculit, ut se la-
queo suspenderet (AV).

Mythograph. II

220

Lycambes quidam filiam Neo-
bulem habuit. quam cum Archi-
locus in matrimonium postu-
lasset, pater promisit; sed pro-
missam negavit. Iratus Archi-
locus in eum maledicum carmen
scripsit. unde ille dolore com-
pulsus una cum filia vitam finivit.

221

Bupalum dicunt quendam pa-
storem fuisse apud Laudomenas,
civitatem Asiae, qui Hipponac-
tem quendam poetam deformem
pro risu pinxit. hinc ille com-
motus furore tali carmine Bu-
palum perculit, ut vitae exosus
laqueo se suspenderet.

1 <ter> *addidi.*

2 i. e. qui cum id responsum amplexus esset. Bodei coniectura
„quo completo“ apta non est.

Porphyrio

a. p. 402

Tyrtaeus] fuit hic genere Atheniensis poeta, omni parte membrorum deformis. Primus hic tubae modulationes dedit ex hac causa. Nam cum Lacedaemonii bellum adversum Messenios gererent diuque traherent dubium Martis eventum, responsum acceperunt ab Apolline, si vellent vincere, Atheniensi duce uterentur. A quibus rogati Athenienses miserunt Tyrtaeum clodum et luscum, quem deformem riderent. Usi sunt auxilio. Quibus ille cantum monstravit tubarum, quarum inaudito terri-sono Messenii fugerunt, adeptique sunt Lacones victoriam.

epist. I 19, 15

Nam hic Iarbuta Maurus regio genere fuit ortus, qui dum Timagenem imitatur post convivium et inter pocula declamantem, propter insolentiam faciendi, quod conabatur, ipse disruptus est.

scholion

a. p. 402

Tyrteus genere fuit Atheniensis, poeta omni deformis parte membrorum. Is primus tubam invenit, quo etiam Lacedaemonii usi duce vicerunt Messenios. Nam cum diuturno tempore inter Lacedaemonios et Messenios bellum traheretur, consuluerunt Lacedaemonii oraculo Apollinem. Quibus responsum est non aliter eos posse vincere, nisi duce Atheniensi pugnarent. Quibus postulantibus Athenienses Tyrteum dederunt; et ita Lacedaemonii vicerunt, cum hostes novus tubae sonitus terrisset (Γ'VcZ).

epist. I 19, 15

Iarbita Maurus fuit, qui, cum Timagenem philosophum post convivium et inter pocula declamantem vellet imitari et non posset, invidia quodammodo disruptus est (Γ'a).

Mythograph. II

222

Tyrteus poeta genere Atheniensis, cum (*leg.* omni) parte membrorum deformis fuit; qui primus tubam invenit; quo etiam Lacedaemonii usi duce Messenios feruntur vicisse. Cum enim diuturno tempore inter Lacedaemonios et Messenios bellum traheretur, consulentibus Lacedaemoniis ab Apolline responsum est non aliter eos posse vincere, nisi duce Atheniensi pugnarent. Quibus postulantibus Athenienses Tyrteum dederunt. Et ita Lacedaemonii novo tubae sonitu hostes terrente vicerunt.

223

Iarbita natione Maurus fuit. Qui cum Timagenem philosophum docte declamantem incassum imitari conaretur, invidia quodammodo disruptus traditur.

num quae congruentia cum scholio ad c. I 7, 10 apud Mythographum II 202, 8—10 leguntur ex illo petita sint, dubium est. fortasse ad eundem fontem redeunt, id quod certe valet de Mythographo I 134 et schol. ad c. III 11, 23 atque de Mythographo I 199 et schol. ad. c. I 17, 23.

Argumentum

A

Testimonia de Helenio Acrone grammatico

I Julius Romanus	6
II Rufinus	12
III Vita Horatii	12
IV Porphyrio	12
V Scholion Horatianum Γb	13
VI Glossa Scaligeri	13
VII Scholion ad Persium	13

B

De scholiis pseudacronianis

Quae ratio intercedat inter scholia Horatiana et Porphyriionem	23
Quae ratio intercedat inter scholia Horatiana et Servium	30
Quae ratio intercedat inter scholia ad carmina et epodos atque sermones, epistulas, artem poeticam	43
Quae ratio intercedat inter scholia Horatiana et Mythographum Vaticanum II	48

Vita

Augustus Langenhorst Everhardi f. matre Gertrude e gente Siebel fidei catholicae natus sum Hammonae Guestphalorum anno MDCCCLXXXII mensis Novembr. die XXIX. patrem ante hos duos annos mihi ereptum esse valde doleo. inde ab anno XCV gymnasium Duisburgense frequentavi. inde maturitatis testimonio instructus vere anni alterius huius saeculi Bonnam me contuli, ut in Musarum sede Rhenana studiis philologicis operam darem.

docuerunt me viri clarissimi: Brinkmann, †Buecheler, Clemen, Dyroff, Elter, Erdmann, Geysler, Hampe, Jaeger, Ed. Koenig, Kühnemann, Küppers, Loeschcke, Nissen, Radermacher, Rauff, Rein, A. Schulte, Solmsen, †Usener, Wiedemann. insigni Brinkmanni, Buecheleri, Elteri benevolentia factum est, ut in seminarium regium philologorum Bonnensium reciperer, cuius sodalis fui ordinarius per ter sex menses. exercitationibus epigraphicis suis ut interesset benigne mihi permisit Buecheler, philologicis Elter. quorum virorum memoriam pio gratoque animo semper colam; in primis Augusto Brinkmanno, quo auctore et duce hanc composui commentationem, gratias ago quam maximas.

examen rigorosum habitum est die XXXI mens. Julii a. MCMVII.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

www.books2ebooks.eu